

Hoeck, Adelbert
De rebus ab
Atheniensibus in
Thracia et in Ponto
ab anno a. Chr. 378 usque
ad annum 338 gestis.

1876. VII.
PHIL. I.

De rebus ab Atheniensibus in Thracia et in Ponto ab anno a. Chr. CCCLXVIII usque ad annum CCCXXXVIII gestis.

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Adelbertus Hoeck

Tatingensis

KILIAE.

PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA

EX OFFICINA C. F. MOHR. (P. PETERS)

1876.



Imprimatur.

Dr. G. Karsten

h. t. Decanus.

Index:

De rebus ab Atheniensibus in Thracia et in Ponto

ab anno a. Chr. CCCLXXVIII usque ad annum CCCXXXVIII gestis.

Non iniuria Demosthenes[1]) Atheniensium urbi ullum locum utiliorem esse negat quam in terra Pylas, in mari Hellespontum. Nam ut, dum Pylae ab Atheniensibus eorumve sociis praesidio firmatae erant, omni hosti barbaro imprimisque Philippo Macedoni, Graecorum libertatis inimicissimo, Graeciae terrestri itinere invadendae Athenasque oppugnandi facultas deerat, ita, dum Hellesponti[2]) accolae Atheniensibus aut parebant aut foedere iuncti erant, tutum erat eorum cum Ponto Euxino commercium, quod ne turbaretur, quanti Atheniensium interfuerit, ex multis litibus satis apparet, quibus Athenienses duces, quorum culpa civitatis in regionibus Hellesponto adiacentibus auctoritas minuta erat, persecuti sunt. Velut omnes Atheniensium imperatores, qui ab anno a. Chr. 362 ad a. 359 in Hellesponto fuerant, Ergophilus, Autocles, Meno, Timomachus, Theotimus, Cephisodotus, quia rem infeliciter gesserant, aut capitis aut magnae pecuniae damnati sunt[3]). Cum igitur permultum Atheniensium interfuisse videatur, ut freta, quae mare Aegaeum cum Ponto Euxino coniungunt, in ipsorum potestate essent, mihi, cum res ab Atheniensibus in his regionibus Demosthenis potissimum aetate gestas narraturus sim, primum videtur docendum et exponendum esse, quale fuerit illud commercium, cuius causa Atheniensibus Hellesponti, Propontidis, Bospori dicio tanti momenti fuit.

---

[1]) de f. leg. § 180.

[2]) hoc nomen interdum omnia freta inter mare Aegaeum et Pontum Euxinum sita significat, ut apud Dem. adv. Lept. § 60 *οἳ τὸ Βυζάντιον προδόντες Θρασυβούλῳ κυρίους ὑμᾶς ἐποίησαν τοῦ Ἑλλησπόντου* cf. de cor. § 230, 241. Strab. l. VII fr. 58.

[3]) de his litibus infra cap. II. § 12 sqq. dicetur.

Caput I.

De Atheniensium cum Ponto Euxino commercio.

§ 1. Ponti Euxini littora cum multis rebus ad hominum vitam aut necessariis L. 1 aut certe utilibus abundarent, iam octavo a. Chr. saeculo a Graecis, imprimis Milesiis et Megarensibus coloniis cincta sunt[1], quibus conditis multi quotannis omnium Graeciae regionum nautae mercatoresque Pontum petebant, ut pecora, servos, mel, ceram, pisces salsos, frumentum aliaque, quae illae regiones praebebant, domum referrent[2]. Incitati primum Graeci videntur esse, ut in Pontum navigarent, magnis piscium agminibus, quae quotannis autumno ex Ponto per Bosporum, Propontidem, Hellespontum in mare Aegaeum et mare medium effundebantur et proximo anno ineunte aestate eundem cursum repetebant[3]. Multi enim veteres scriptores narrant plurimos pisces ineunte aestate in Pontum migrare, ut ibi aestatem degant et ova pariant, cum magnus fluviorum in Pontum effusorum numerus et eius aquam suaviorem reddat et multa alimenta secum afferat et cum in Ponto praeter delphinos paucissimae sint beluae voraces[4]. Quam ob rem in Ponto ab orae maritimae accolis ingens capiebatur copia piscium, qui salsi in omnes Graeciae regiones mittebantur[5]. Ex his piscibus imprimis nominandi sunt thynni, quos quam libenter ederint Graeci, ex poetarum laudibus, quas citat Athenaeus[6], satis apparet. Hos pisces in Maeotidis paludibus natos quotannis magnis agminibus per Bosporum Cimmericum effusos iuxta Ponti litora orientale et meridianum ferri Strabo narrat[7]. Ac primum quidem eos parvulos esse, in itinere autem paulatim crescentes, ubi ad Trapezuntem et Chalybum terram pervenerint, iam eam magnitudinem habere, ut eos capere[8] orae maritimae accolis operae pretium videatur, praesertim cum pelamydum (sic enim dicebantur parvi thynni) agmina multi sequantur delphini, qui pelamydum praeda pingues et captatu faciles fiant[9]. Ipsarum vero pelamydum non ita multas capi, cum parvae sint, plures iam ad Sinopen, maximam autem partem in Bosporum Thracium pervenire ibique pisces alba quadam rupe ex terra Chalcedonia prominente territos, dum ad alterum littus se convertant,

---

1) de his coloniis cf. Prelleri commentationem »über d. Bedeutung d. schwarzen Meeres f. d. Handel u. Verkehr d. alten Welt« (Dorpati 1842) p. 6 sqq. E. Curtii hist. Graec. vol. I[6] p. 389 sqq.

2) cf. Polyb. l. IV. c. 38.

3) cf. Curtium l. l. p. 397.

4) cf. Aristot. hist. an. VI. 17. VIII. 19. Ael. de nat. an. IV. 9. XV. 5. Plin. nat. hist. IX, 47. 49 sqq. 176 sqq. Amm. Marc. XXII. 8. 48.

5) Multos veterum scriptorum locos, ubi ταρίχη Ποντικά commemorantur, vide apud Blümnerum »die gewerbl. Thätigkeit der Völker des klassischen Alterthums« (Lips. 1869) p. 47.

6) l. VII. p. 301 sqq. Imprimis thynni [illegible] laudantur ap. Athen. p. 303 d. e. f.

7) l. VII. p. 320 cf. Plin. hist. nat. IX § 47.

8) de ratione capiendi cf. Ael. de nat. an. XV. 5.

9) cf. Strab. l. XII p. 549.

l. 1. prope Byzantium in sinum, qui Κέρας dicatur, tanta multitudine inferri, ut vel manu eos captare possis. Quam rem Byzantiis magno quaestui esse[1]). Pisces enim salsos Byzantinos Graeci omnibus ceteris videntur praetulisse[2]). Qua de causa Archestratus in fragmento apud Athenaeum[3]) servato Byzantium θυννίδων μητρόπολιν vocat. Praeter thynnos in Bosporo Thracio et Hellesponto inprimis captabantur scombri[4]). Propter hanc piscaturam et piscium condituram Bosporus Thracius iure dicitur ταριχόπολις[5]).

Praeterea piscatura maxime floruit in Maeotide, quam Strabo similem piscium copiam Graecis praebere ait ac Chersonesum Tauricam frumenti[6]). Imprimis ibi captabantur acipenseres (ἀντακαῖοι), quos ad Bosporum Cimmericum hiberno tempore e glacie effodi Strabo[7]) narrat, et coracini[8]) et rhombi, de quibus Iuvenalis[9]) sic canit:

›quos operit glacies Maeotica, ruptaque tandem
solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
desidia tardos et longo frigore pingues.‹

Hos pisces non ad ostia tantum Ponti, ut ex Iuvenalis versibus efficere licet, sed in Maeotide quoque captos esse ex duorum fluviorum nominibus concludere possumus. Rhombites enim maior, qui in Tanaidis sinum effunditur (hodie vocatur Jeya), ad cuius ostium magnam piscium copiam captam et salsam esse Strabo[10]) tradit, et Rhombites minor, qui in ipsam Maeotidem influit (hodie dicitur Kirpuli), quem et ipsum accolis piscaturam praebuisse Strabo narrat, a rhombis piscibus nomen videntur duxisse. Cetera Ponti loca, ubi antiquis temporibus piscatura et piscium conditura florebat, vide apud Blümnerum[11]), qui quidem falso, ut mihi videtur, in eis locis enumeravit Theodosiam, quippe ad quam urbem, cum in meridiana Chersonesi Tauricae ora sita esset, pelamydum quidem agmina, quae teste Strabone Ponti littora orientale et meridianum premebant, omnino pervenire non potuerint. Nec locus, quem in nota attulit Blümner ex oratione adversus Lacritum Demostheni vulgo adscripta[12]), Theodosiae piscaturam et piscium condituram floruisse probat. Ibi enim orator narrat Artemonem Phaselitam agricolae cuidam ad messorum usum pisces salsos Panticapaeo Theodosiam vexisse. Debuit igitur locus in eis poni, qui Panticapaei pisces captos et salsos esse docent. Ut in reliqua Graecia ita Athenis pisces salsi (τάριχος)

---

1) cf. Strab. l. VII p. 320, XII p. 545. Plin. n. hist. IX § 50. Tac. ann. XII, 63.
2) cf. Dioclem ap. Athen. III p. 116 E, Archestr. ibid. p. 117.
3) l. VII p. 303 E.
4) cf. Athen. III p. 116 B, I p. 27 E.
5) cf. Athen. l. III p. 116 B.
6) l. VII p. 311.
7) l. VII p. 307.
8) cf. Dorionem ap. Athen. l. III p. 118 B.
9) sat. IV v. 41 sqq.
10) l. XI p. 493.
11) l. l. p. 42.
12) § 31 sq.

plurimi aestimabantur, quod inde apparet, quod, cum Alexandro regnante Athenis annonae caritas orta esset, Chaerephilus quidam ταριχοπώλης eiusque filii eo civitatem Atticam adepti sunt, quod magnam piscium salsorum copiam Athenas apportaverunt.[1]

Servos, quos ex Ponto exportatos esse Polybius ait, a Strabone[2] discimus in urbe Tanaide ab indigenis nomadibus Bosporanis venisse. Nec paucos ex Scythia servos Athenas partim in hominum privatorum partim in rei publicae usum venisse satis constat. Apud Aristophanem[3] Scythaena servae nomen est et Suidas ad hunc locum hanc glossam praebet: Σκύθαινα· ἡ Σκυθίς. Ἀριστοφάνης. καὶ ἡ Σκύθαινα. Ex publicis autem servis Athenis constabat cohors sagittariorum (τοξοτῶν) quae praesidiibus ad servandum ordinem praesto erat et a plurimorum patria nomen habebat Scytharum[4]. Non parvam servorum copiam Caucasi incolae Graecis videntur vendidisse. Hos enim, inprimis Achaeos et Heniochos Strabo[5] narrat parvarum liburnarum, quae καμάραι dicantur, classes parare eisque usos naves mercatorias aggredi et diripere ac praedam factam in urbium Bosporanarum foris vendere. Praeterea ex Phrygia multi servi videntur venisse[6].

Pecora, quae ex Ponto exportata esse Polybius refert, mercatores Graecos a nomadibus Scythis emisse satis veri simile est, quamquam recte monuit Preller[7] de Cappadociae quoque maximeque Gazelonitidis ovibus insignibus[8] cogitari posse. At hoc commercium Athenienses minus curasse arbitror, cum in Attica ipsa oves praeclarae alerentur lanam optimam praebentes.[9]

Neque cera et mel, quae Pontum Graecis praebuisse Polybius ait et quae pluribus in Ponto locis parta esse scimus[10], in Atticam videntur esse importata, nam Attica ipsa, quippe in qua apium cultus magnopere floreret[11], magnam cerae mellisque copiam procreabat.

Lini cannabisque copia in Ponto Strabone teste insignis erat Colchis[12], cuius incolae inde et fila faciebant ad retia venatoria et piscatoria fabricanda aptissima[13] et vestes praeclaras texebant, quae in alias terras exportabantur. Harum

1) cf. locos, quos contulit A. Schaefer de Demosth. eiusq. aet. vol. III p. 270. 1.
2) l. XI p. 493.
3) Lysistr., v. 184.
4) cf. Poll. VIII, 132 et ceteros locos, quos contulerunt Boeckh de oec. civ. Ath. I p. 292. Hermann ant. Gr. vol. I § 123 n. 11.
5) l. XI p. 495 sq.
6) cf. Hermipp. ap. Athen. l. I p. 27 F.
7) l. l. p. 20.
8) cf. Strab. l. XII p. 546 extr.
9) cf. Athen. II p. 41 c, V p. 219 a et ceteros locos, quos contulit Blümner l. l. p. 118 sq.
10) cf. Paus. II, 21, 1; Aristot. hist. an. V, 22 p. 554 b, Strab. XI p. 498.
11) cf. Paus. I, 32, 1; insigne mel in Hymetto monte gignebatur; cf. Strab. VIII p. 399. X p. 450 extr., Plin. nat. hist. XXI § 57, Athen. I p. 42 C.
12) cf. Strab. l. XI p. 498. Herod. l. II c. 105.
13) cf. Xenoph. de ven. c. 2. § 4. Poll. l. V c. 26.

autem rerum magnam copiam Athenas venisse veri simile est, cum in Attica non coleretur linum et tamen ad naves exornandas multo lino opus esset, quam ob rem linum exportari Atheniensium leges vetabant [1].

Idem dicendum est de pice et de ligno navibus exstruendis apto, quibus rebus item Colchis abundabat [2], Attica egebat [3]. Arbores autem ad naves aedificandas idoneas meridianum quoque Ponti littus inde a Sinope usque ad Bithyniam plurimas praebebat [4].

Pelles quoque multas mercatores Bosporani Tanaide a nomadibus Scythis emebant [5] ac rursus ceteris Graecis vendebant. Quas Athenas quoque venisse oratio, quae dicitur Demosthenis, adversus Phormionem habita [6] testatur.

Ex metallis inprimis ferrum apud Chalybes in Ponto inveniebatur, qui populus exceptis paucis, qui in ora maritima habitantes piscaturam exercebant, totus fere ferro ex terra promovendo fundendo cudendoque operam dabat [7]. Unde magnam ferri copiam in alias terras evectam esse multi scriptores testantur [8].

Aurum quoque Colchidis rivi secum ferre dicebantur, quod ab incolis pellibus caperetur [9]. Atque apud Scythas quoque aurum et aurea ornamenta exstitisse et nonnulli scriptorum loci [10] docent et magna ad Bosporum Cimmericum sepulcra, in quibus, cum nostra aetate aperta essent, maxima ornamentorum aureorum copia inventa est [11].

At quamvis magni momenti haec omnia, quae ex Ponto efferebantur, cum ceteris Graecis tum Atheniensibus essent, tamen harum rerum causa Athenienses non videntur gessisse multa illa de regionum Hellespontiacarum dicione bella, de quibus infra dicendum erit, sed unius commercii frumentarii (τῆς σιτοπομπίας) causa. Nam cum Atticae solum sterile esset [12], fruges eius minime sufficiebant ad magnum civium peregrinorum servorumque Athenis habitantium numerum [13] alendum. Ne ad agricolarum quidem ipsorum usum Atticam satis frumenti praebere legati Atheniensium apud Livium [14] contendunt. Demosthenes his isdem fere vere verbis [15] ulli civitati

---

1) cf. Aristoph. Ran. v. 363 et schol. v. 362. Boeckh. l. l. p. 76.
2) cf. Strab. l. XI p. 498.
3) cf. Boeckh. l. l.
4) cf. Xen. Anab. VI. 4. 4. Strab. XII. p. 546.
5) cf. Strab. XI. p. 493.
6) § 10.
7) cf. Strab. l. XII. p. 549. 551. Xen. An. V. 5. Steph. B. s. v. Χάλυβες, Blümn. l. l. p. 41.
8) cf. Blümnerum l. l.
9) cf. Strab. XI. p. 499.
10) cf. Herod. IV. 5. 7. III. 116.
11) vide Neumann »Die Hellenen im Skythenlande« vol. I. p. 492 sqq.
12) cf. Thuc. I, 2. Liv. XXXVIII, 6. 2.
13) Quingenta fere milia hominum Athenis vixisse diligenti ratione Boeckhius l. l. vol I² p. 47 sqq. effecit.
14) l. l.
15) adv. Lept. § 31. de cor. § 87.

maiore frumenti copia extrinsecus advecta quam Atheniensibus opus esse negat. Quam ob rem lex vetuit quemquam Atheniensium in ullum portum praeter Piraeeum frumentum importare ac si quis contra hanc legem fecisset, eum per φάσιν accusari iussit [1]. Ne pecuniam quidem naviculario mercatorive mutuo dare, nisi navis in Atheniensium portum reversura esset, cuiquam licuit [2]. Quanta autem frumenti copia extrinsecus advecta quotannis opus esset, id scire debebat, quicunque Athenis rebus publicis operam dabat [3]. Cuius rei notitia parari potuit ex libellis curatorum annonae (σιτοφύλακες), quibus praeceptum erat, ut, quantum quaeque navis frumenti ex quaque regione Athenas ferret, tabulis inscriberent. His nisus Demosthenes [4] quamvis magna sit copia frumenti ex Sicilia [5], Aegypto [6], Cypro [7], Euboea [8], aliisque locis Athenas vecta, eam, quae ex Ponto Atheniensibus afferatur, omnem ceteram paene aequare testatur. Quotannis enim quadringenta fere milia modium frumenti ex Ponto Athenas adferri [9]. In Ponto autem frumento maxime abundabat Chersonesus Taurica, quae Graecis simili modo frumentum praebebat ac Maeotis pisces. Illius enim paeninsulae, Strabo inquit [10], exceptis montibus, quae iuxta oram usque ad Theodosiam pertinent, reliqua pars omnis plana est et optimo solo frumentoque felicissima, ut vel a quolibet aratore scissa terra pro singulis modiis tricenos reddat. Tales autem messes non modo incolarum divitias magnopere augebant, sed etiam multos alliciebant mercatores peregrinos. Imprimis bona ac frugifera erat ora maritima inter Panticapaeum et Theodosiam urbes [11], unde mercatores Athenienses frumentum emere solebant [12]. Cum autem Panticapaeum caput esset regni Bosporani, Athenienses, quippe quorum summopere interesset, ne commercium frumentarium ullo modo impediretur, semper id agebant, ut Bosporanorum regibus amicis uterentur. Ac videntur Spartocidae, qui ibi regnabant, cum Bosporanorum iussu multi mercatores Athenas navigarent [13], quam maxime favisse Atheniensium commercio. De qua re cum infra uberius dicendum sit [14], hic id tantum monere liceat hanc inter Athenienses et regulos Bosporanos amicitiam mansisse, cum Atheniensium non modo in Ponto, sed etiam in fretis inter Pontum et mare Aegaeum sita auctoritas iam prorsus deleta esset. Paerisades

1) cf. (Dem.) adv. Lacr. 50, adv. Phorm. 37, Lyc. in Leocr. 27.
2) cf. or. adv. Lacr. l. l.
3) cf. Xen. Mem. III, 6, 13, Aristot. Rhet. I, 4 p. 1360.
4) adv. Lept. § 31.
5) cf. (Dem.) in Dionysod. § 9 et totam adv. Zenothemin orationem.
6) cf. orationem in Dionysodorum habitam.
7) cf. Andoc. de red. § 20 sq.
8) cf. Thuc. l. VII c. 28.
9) cf. Dem. adv. Lept. § 32.
10) l. VII p. 311.
11) cf. Strab. p. 309.
12) cf. Dem. adv. Lept. § 33.
13) cf. Isocr. Trapez. § 5.
14) vide infra c. II § 1 et 20.

1. enim, qui a. 348—310 de Bosporanis regnavit, Alexandro regnante [1], cum annonae caritas orta esset, eis, qui Athenas frumentum vehere vellent, immunitatem dedit [2]. Idem rex et eius gener Satyrus et huius filius Gorgippus ita de Atheniensibus meriti sunt, ut Demosthene auctore eis omnibus Athenis statuae aureae erigerentur [3]. Postea Spartocus IV, qui a. 304—284 regnavit, cum Athenis frumenti inopia esset, populo magnam frumenti copiam donavit [4]. Inde apparet, quanti momenti Atheniensibus fuerit commercium frumentarium Ponticum. Idem ex aliis testimoniis perspicuum fit. Cum enim naves frumentariae, quae ex Ponto veniebant, ab hostibus capiebantur, statim in Piraeeo frumentum pluris venire solebat [5]. Quin etiam fama vulgata in Ponto quasdam naves frumentarias perisse mercatores Athenienses efficere poterant, ut frumentum pluris venderent [6]. Tanti igitur momenti cum esset commercium frumentarium Ponticum, Athenienses, ut angusta freta, quae Pontum cum mari Aegaeo coniungunt, sibi parerent, multas expeditiones multaque bella susceperunt.

2. § 2. Antequam autem ad has res narrandas transeam, cum iam de rebus, quas Pontus Atheniensibus praebuit, satis dixisse mihi videar, restat, ut exponam, quid, ut illas res domum referre possent, in Pontum attulerint mercatores Athenienses. Ac Polybius quidem [7] oleum potissimum et omnia vini genera in Pontum importari dicit, praeterea interdum frumentum. De frumento autem in Pontum advecto in Atheniensium cum illius maris accolis commercio cogitari non posse ex eis, quae modo exposui, satis elucet.

Cetera autem, quae Polybius in Pontum inferri dicit, ab Atheniensibus quoque videntur esse importata. Quamquam enim in Chersoneso Thaurica vitis colebatur [8], tamen parvam praebebat messem et hiberno tempore, ne frigore exstingueretur, terra tegenda erat [9]. Quam ob rem nulla fides haberi potuit mercatori, qui se vinum Panticapaeo Athenas vehere voluisse dixit. Inauditum enim erat vinum ex Ponto in Graeciam ferri. Immo ex Graeciae insulis urbibusque, ut Thaso, Peparetho, Co, Mende vinum in Pontum ducebatur [10]. Ac re vera vinum, quod ille mercator Panticapaei navi imposuerat quodque Coum fuerat, Theodosiam ad operarum rusticarum usum fuerat vehendum [11], atque idem mercator antea eadem navi quingentos fere vini cados

---

1) de tempore, quo oratio adv. Phormionem habita sit, cf. A. Schaeferum l. l. vol. III, 2 p. 309.
2) cf. or. adv. Phorm. § 36 sq.
3) cf. Din. in Dem. 43, Boeckh corp. inscr. Gr. I p. 936.
4) cf. corp. inscr. Gr. I n. 107.
5) cf. (Dem.) adv. Polycl. § 6.
6) cf. Lys. κ. τ. σιτοπωλῶν § 14.
7) l. IV c. 38.
8) Hoc de regionibus ad Bosporum Cimmericum sitis constat ex Strab. VII p. 307; II p. 73, de Chersoneso urbe in orientali Chersonesi Tauricae parte (prope hodiernam Sebastopolim) sita ex inscriptione in corp. inscr. Gr. n. 2097.
9) cf. Strab. l. l.
10) cf. or. adv. Lacr. § 31 et 35.
11) cf. ibid. § 32.

Athenis in Pontum venerat [1]). Neque ad Graecorum tantum usum vinum in Pontum importabatur, sed Bosporani mercatores navibus magnam vini copiam Tanaim ferebant ibique barbaris Scythis vendebant [2]). Item ex aliis Ponti portibus vina Thasia, Lesbia, Chia terrestribus itineribus usque ad mare Hadriaticum videntur esse portata [3]).

Olea in meridiano quidem Ponti litore circa Sinopam, Amisum, Pharnaciam magno cum fructu colebatur [4]), sed huius regionis oleum haud dubie minime sufficiebat omnibus Ponti accolis. Quam ob rem maxime credibile est, quod Polybius dicit, oleum in Pontum navibus illatum esse. Huius autem olei magnam copiam veri simile est venisse ex Attica, quippe in qua terra oleae cultura antiquitus magnopere floruerit. Oleum autem in eis mercibus, quae ex Attica in alias terras ferebantur, primum locum tenuisse iam inde apparet, quod Solon omnes quidem ceteras res ex Attica exportari vetuisse, solum autem oleum, ut in alias terras venderent, civibus permisisse dicitur [5]).

Cum hoc vini et olei commercio artissime cohaeret vasorum commercium. Vasa autem, in quibus vinum et oleum in Pontum ferebatur, haud dubie maximam partem Athenis facta erant. Cum enim Coliadis promunturium Atheniensibus optimam praeberet argillam [6]), iam antiquis temporibus Athenis maxime floruit ars figulina [7]) et tanta testarum et vasorum multitudo fingebatur, ut vasa Attica, crateras Coliadis argilla confectas ubique in Graecia videres [8]). Atque extra Graeciam quoque testas et vasa Attica in regiones longissime remotas exportari Pseudo-Scylax tradit [9]), et nostra aetate extra Graeciam multis locis vasa reperta sunt, quae, quatenus antiquae quae dicitur [10]) et pulchrae [11]) artis essent, omnia fere Athenis venisse ex litterarum forma, inscriptionum dialecto, rebus mythologicis in eis pictis Kramer [12]) docuit. In Pontum quoque vasa Graeca importata esse Aristoteles [13]) tradit, et nostro saeculo in coloniis Ponticis, praecipue Panticapaei, multa vasa inventa sunt, quae propter easdem, quas supra significavi, causas figulis Atticis videntur deberi, quorum nunc maxima

1) cf. infra § 10.
2) cf. Strab. XI p. 493.
3) cf. Aristot. mirab. ausc. c. 104 p. 839 b.
4) cf. Strab. XII p. 546. II p. 73.
5) cf. Plut. v. Sol. c. 24.
6) cf. Athen. I p. 28 C, Suid. s. v. Κωλιάδος κεραμῆες, et ceteros locos, quos congessit Blümner l. l. p. 63 sq.
7) cf. C. O. Müller script. min. vol. II p. 151 sqq., Blümner l. l., Büchsenschütz die Hauptstätten d. Gewerbfleisses im klass. Alterth. (Lips. 1869) p. 15 sqq.
8) cf. Eratosth. ap. Macrob. Sat. V, 21, 10.
9) p. 150 ed. Klausen.
10) Antiquae, quae dicitur artis vasa rubra sunt nigris figuris ornata.
11) Pulchrae artis vasa in nigro fundo rubras praebent figuras.
12) über den Stil u. d. Herkunft der bemalten griech. Thongefässe p. 166 sqq.
13) mirab. ausc. c. 104 p. 839 b.

6.2. paris Petersburgi in museo imperatoris Russorum exstat [1]. In multis autem vasis cum res pictae sint, quae ad regiones Ponticas et Scytharum fabulas spectant, Neumannus [2] Duboisium [3] secutus probare studet Graecos Bosporanos vasa importata imitatos esse. Quod quamquam non improbabile est, tamen ipse Neumannus [4] exemplum attulit, unde apparet non temere ex rebus in vasis pictis de vasorum origine coniecturam facere licere. Hoc enim vas, quod descriptum est in «bulletin de la société d'archéologie et de numismatique de St. Pétersbourg» a. 1848 p. 7 sqq., quamquam imagines praebet, quae quam maxime ad Scytharum fabulas spectant, tamen nomen artificis incisum fert Atheniensis Xenophanti. Inde apparet figulos Athenienses nonnumquam vasa in Pontum ducenda regionum Ponticarum usui et fabulis accommodasse.

4.7. § 3. His expositis satis apparere existimo, quibus potissimum rebus in commercio Pontico usi sint Athenienses: quae cum multae et variae essent et omnium summi momenti esset frumentum ex Ponto arcessitum, magnus quotannis numerus mercatorum mense Munychione [5] (Aprili vel Maio) Noto vento usus [6] Athenis in Pontum vectus esse et circa mense Metagitnione et Boedromione [7] (Septembri) etesiis ventis flantibus [8] redisse domum videtur. Quibus mercatoribus cum duo angusta freta, Bosporus Thracius et Hellespontus pernaviganda essent, Atheniensium non modo plurimum intererat, ut regni Bosporani, quo plerique mercatores navigabant, domini ipsis amici essent, sed etiam id semper agebant, ut urbes Graecas ad haec freta sitas et Thraciae reges, quorum potestas saepe usque ad oram maritimam pertinebat, aut sibi foedere amicitiaque iungerent aut sibi parere cogerent, et huius rei causa multas expeditiones multaque bella susceperunt. Ex quibus ego praemissis paucis de prioribus expeditionibus iam eas res amplius enarrare mihi proposui, quae ab Atheniensibus in Thracia et in Ponto ab anno a. Chr. CCCLXXVIII usque ad a. CCCXXXVIII i. e. ab Atheniensium principatu maritimo Nausinico archonte renovato usque ad pugnam Chaeroneensem Chaeronda archonte factam gestae sunt.

---

[1] Cf. die Vasensammlung d. kaiserl. Eremitage zu St. Petersburg 1860. Ampliores vasorum descriptiones exstant apud Dubois de Montpéreux, voyage autour du Caucase (Paris 1839 sqq.), maxime vol. V, in antiquités du Bosph. Cimmérien (Petersb. 1854 sqq.), compte-rendu de la commission impériale archéologique a. 1859.

[2] die Griechen in Skythien p. 332 sqq.

[3] l. l. vol. V p. 181.

[4] l. l. p. 527 sq.

[5] Ante Munychionem mercatores non videntur Athenis profecti esse; nam per menses hibernos a Boedromione ad Munychionem, cum navigatio plerumque quiesceret, Athenis dimittebantur hi mercatores. Cf. (Dem.) adv. Apat. § 13.

[6] cf. Polyb. l. IV c. 44.

[7] cf. (Dem.) adv. Polycl. § 6, 17—19.

[8] cf. Polyb. l. l.

Caput II.

De rebus ab Atheniensibus in Thracia et in Ponto ab Atheniensium principatu maritimo a. 378 renovato usque ad belli socialis exitum (a. 355) gestis.

§ 1. Priori Atheniensium foederi maritimo, quod a. 477 conditum erat, non modo omnes fere urbes ad Hellespontum, Propontidem, Bosporum sitae accesserant, sed in ipsum quoque Pontum Athenienses expeditiones militares susceperant. Pericles, ut urbibus Graecis et dynastis barbaris Atheniensium potentiam monstraret, cum magna classe in Pontum vectus Sinopenses in Timesilao tyranno expellendo adiuverat multisque Atheniensibus Sinopae domus agrosque paraverat[1]. Bello Peloponnesiaco Lamachus praetor Heracleam Bithyniae urbem frustra oppugnaverat[2]. In Chersonesi autem Tauricae ora frugifera Nymphaeum castellum a Panticapaeo ad meridiem situm[3]) Atheniensibus paruerat[4]) et quotannis talentum tributum solverat[5]). Fortasse cum hac Atheniensium in Chersoneso Taurica possessione cohaeret, quod iam tum Bospori reges Spartocidae Atheniensium commercio summopere favebant. Satyrum enim primum, qui a. 407–393 regnum Bosporanorum tenuit, eiusque patrem, qui inde ab a. 427 regnavit, saepius, cum frumenti inopia esset, ut Atheniensium naves frumento implere possent, ceteros mercatores vacuis navibus domum redire iussisse eundemque in litibus mercatorum diiudicandis semper Atheniensibus aequos fuisse apud Isocratem[6]) legimus.

Cum autem a. a. Chr. 405 Athenienses ad Aegospotamos a Lysandro Lacedaemonio devicti essent, omnis eorum in Hellesponto Propontide Bosporo Ponto potestas deleta est. Sesto enim expugnata Lysander Chersonesum Thraciam, cuius magna pars Periclis aetate civibus Atheniensibus adsignata erat[7]), Atheniensium dicioni eripuit[8]), deinque omnes ceteras Atheniensium extra Atticam possessiones perdiderunt[9]). Eodem fere tempore[10]) Gylo Atheniensis Demosthenis oratoris avus maternus Nymphaeum oppidum, quod Athenienses iam tenere non poterant, regibus Bosporanis videtur tradidisse. Propter quam rem proditionis accusatus et capitis damnatus est,

1) cf. Plut. v. Pericl. c. 20.
2) cf. Thuc. IV, 75; Iust. XVI, 3.
3) cf. Strab. VII p. 309; Neumann l. l. p. 475 sqq.
4) cf. Aesch. in Ctes. § 171.
5) cf. Harpocr. s. v. Νυμφαῖον.
6) Trapez. § 57.
7) cf. Plut. v. Pericl. c. 11.
8) cf. P. Schultze de Chersoneso Thracica dissertationem Berol. a. 1853 editam p. 25 sqq.
9) cf. Xen. Mem. II, 8, 1.
10) cf. Schaefer: Dem. u. s. Zeit. vol. I p. 252 sq.

sed antequam damnaretur, in exsilium iverat [1]. Fugit ad reges Bosporanos et ab eis Cepos oppidum in litore Asiano prope Phanagoriam situm [2] dono accepit [3].

Sed quamquam regibus Bosporanis iam non metuenda erat Atheniensium potentia, tamen Satyrus, qui tunc Bosporanis praeerat, etiam cum Lacedaemonii principatum maritimum tenerent, Atheniensibus videtur favisse [4].

Byzantiis, qui et seditione interna et bello cum finitimis Thracibus gesto valde afflicti a Lacedaemoniis praetorem petiverant, archonte Athenis Euclide (a. 403/2) Clearchus auxilio missus est, qui mox magnis copiis conducticiis collectis Selymbria quoque urbe ad Propontidem inter Byzantium et Perinthum sita potitus et ex duce tyrannus Byzantiorum factus est. Magistratibus enim Byzantiorum interfectis cives nobilissimos et ditissimos partim et ipsos interfecit, partim in exsilium misit eorumque rem familiarem sibi sumpsit, ut haberet, unde mercennarios aleret, atque ita se gessit, ut Lacedaemonii, cum frustra per legatos ei persuadere conati essent, ut tyrannide se abdicaret, Panthoedam cum copiis contra suum ipsorum ducem mittere cogerentur. Qui cum appropinquaret, Clearchus Byzantiorum iram metuens Selymbriam fugit itaque, cum prope hanc urbem pugna victus esset, obsessus est. Noctu autem fuga ex urbe elapsus in Ioniam ad Cyrum Artaxerxis Mnemonis Persarum regis fratrem venit, quocum postea contra fratrem profectus est [5] (a. 401). Lacedaemonii autem Byzantii oligarchia instituta [6] per plures annos hanc urbem tenuerunt.

Bello vero Corinthiaco Atheniensium in Hellesponto auctoritas iterum invaluit. Nam cum Pharnabazus et Conon cum classe Persica Lacedaemonios ad Cnidum vicissent (a. 394), plurimae maris Aegaei insulae et Asiae minoris Hellespontique civitates Graecae a Lacedaemoniis defecerunt [7]. Duas autem maximi momenti urbes, Sestum et Abydum, Dercyllidas harmosta Lacedaemoniis servavit et contra Pharnabazi terrestrem et Cononis maritimum impetum prospere defendit [8]. Deinde Conon Persarum pecunia usus Atheniensibus et muros et classem restituit et effecit, ut illi de recuperando principatu maritimo cogitare inciperent [9].

His rebus gestis Athenienses a. 391 Thrasybulum Stiriensem Rhodiis opem ferre iusserunt. At is cum XXXX navibus in Hellespontum vectus, dum circa Chersonesum moratur Medocum vel Amadocum [10] Odrysarum regem et Seuthem,

[1] cf. Aesch. in Ctes. 171.
[2] cf. Strab. XI p. 495.
[3] cf. Aesch. l. l. § 172.
[4] cf. Lys. pro Mantith. § 4, Grote hist. Gr. vol. XI p. 304 n. (editionis, quae prodiit Novi Eboraci a. 1859).
[5] cf. Diod. XIV 12.
[6] cf. Xen. Hell. IV, 8, 27.
[7] cf. Diod. l. l. c. 84, Xen. l. l. § 1 sqq., Dem. adv. Lept. § 68.
[8] cf. Xenoph. l. l. § 3 sqq.
[9] cf. Xen. l. l. § 12, Demosth. l. l.
[10] cf. Rehdantzii vit. Iph., Chabr. Timoth. p. 325.

qui Thraciae orae maritimae praeerat, inter se conciliavit et utrumque Atheniensibus amicum reddidit [1]. Deinde Byzantium profectus ab Archebio et Heraclide Byzantiis in urbem receptus est ibique populo imperium tradidit et effecit, ut Byzantii libenter multos Athenienses in urbe versari paterentur. Decumam quoque a naviculariis per Bosporum Thracium navigantibus solvendam locavit [2], quam iam bello Peloponnesiaco a. 410 Alcibiade duce Chrysopoli oppido prope Chalcedonem sito potiti Athenienses perceperant [3]. Chalcedonios quoque Thrasybulus in Atheniensium amicitiam recepit [4]. II, 1

Eodem tempore haud scio an Athenienses cum Leucone Bosporanorum rege foedus inierint, cuius Demosthenes in oratione adversus Leptinem habita [5]) mentionem facit. Leuco, qui a. 393 Satyro patri in regno successerat et ad a. 353 regnavit [6], Theodosia urbe regno adiecta hunc quoque portum Panticapaeensi non peiorem mercatoribus Atheniensibus aperuit [7] et, cum a ceteris mercatoribus tricesimam exigeret [8], Atheniensibus huius vectigalis immunitatem dedit [9]. Ab altera parte Athenienses Leuconi eiusque filiis immunitatem (haud dubie inprimis decumae Chrysopolitanae) et civitatem Atticam tribuerunt [10]. Hoc foedus tribus columnis lapideis inscriptum est, quarum una in Piraeeo, altera Hieri ad Ponti Euxini ostium, tertia Panticapaei posita est [11].

Rebus a Thrasybulo in fretis Thracicis gestis sollicitati Lacedaemonii in Dercyllidae locum Anaxibium harmostam Abydum miserunt [12], contra quem Athenienses, cum Thrasybulus interim mortuus esset [13], misere Iphicratem [14]. Qui et Seuthem Thracem regno expulsum restituit [15] et Anaxibium ab expeditione Antandrum facta Abydum redeuntem ex insidiis oppressit ipsumque cum magno militum numero occidit [16]. Nicolochus autem, qui paulo post a Lacedaemoniis Abydum missus est, ab Atheniensium praetoribus ex Chersoneso Abydum adgressis obsidione cinctus est [17].

Mox vero, quamcunque auctoritatem Athenienses in Hellesponto adepti

1) cf. Diod. XIV, 94. Xen. Hell. IV, 8, 25 sq.
2) cf. Xen. l. l. § 27. Dem. adv. Lept. § 60.
3) cf. Xen. l. l. I, 1, 22. Diod. XIII, 64. Theop. Hell. I ap. Steph. Byz. s. v. Χρυσόπολις. Polyb. IV, 44, 4.
4) cf. Xen. Hell. IV, 8, 28.
5) § 29 sqq.
6) cf. Diod. XIV, 93. XVI, 31.
7) cf. Dem. l. l. § 33.
8) cf. ibid. § 32.
9) cf. ibid. § 31.
10) cf. ibid. § 29 sqq.
11) cf. ibid. § 36.
12) cf. Xen. Hell. IV, 8, 31 sqq.
13) cf. Xen. l. l. § 33.
14) cf. ibid. § 34.
15) cf. Nep. v. Iphicr. c. 2.
16) cf. Xen. Hell. IV, 8, 35 sqq.
17) cf. Xen. l. l. V, 1, 6 sq.

1. erant, omnis fere concidit, cum pax Antalcidea a. 387 ab Artaxerxe Persarum rege praecepta omnes extra Asiam Graecorum civitates (nam Asiaticas res sibi sumpsit) liberas esse iuberet exceptis tribus insulis in mari Thracio sitis Lemno, Imbro, Scyro, quae Atheniensibus, quorum ab antiquis temporibus fuerant, relictae sunt[1]. Aegre quidem Athenienses tulerunt, quod Chersonesus, ubi antea multos agros possederant et ubi eis multae pecuniae debebantur, eis non est concessa, sed cum eam vi sibi vindicare non valerent, in insularum possessione acquiescere coacti sunt[2].

Quamvis autem anxie Lacedaemonii iam caverent, ne quae civitas cum alia societatem iniret, tamen Byzantios cum Atheniensibus foedus sustinuisse Isocrates ait[3] et Byzantii diu penes populum imperium mansisse Theopompus[4] testatur. At recte Busoltius[5] probavit nondum tum Athenis Byzantiorum, Chiorum, Mytilenaeorum aliorumque legatos in concilio consedisse et talem inter has civitates et Athenienses societatem exstitisse, qualis Nausinico archonte constituta esset[6].

2. § 2. Cum vero Lacedaemonii Thebis eiecti essent[7], multae Graecorum civitates maritimae ad Athenienses inclinaverunt et cum eis intimo foedere coniunctae sunt. Hoc foedus Nausinico archonte (a. 378[8]) cum Atheniensibus iniere Chii, Tenedii, Mytilenaei, Methymnaei, Rhodii, Poeessii ex Ceo insula, Byzantii, Perinthii[9], ut Lacedaemonii sinerent Graecos liberos et suis legibus usos quietem agere terram suam tuto possidentes[10]. Decreti, quo inter Byzantios et Athenienses foedus constitutum esset, fragmentum invenisse sibi visus est Koehler[11], sed ea pars decreti, qua tempus et foederis condiciones continebantur, periit. Quam ob rem nos hic eas tantum condiciones enumerare possumus, quae ad omnes socios spectant. Statutum igitur est ut, si quis cui sociorum bellum inferret, omnes socii cum Atheniensibus ei, cui bellum

---

[1]) cf. Xen. l. l. § 31.

[2]) cf. Andoc. de pace § 15.

[3]) cf. Isocr. Plat. § 28, contra cuius certum testimonium Xenophontis verba (Hell. V, 1, 27) ὑπηκόους δὲ ἐποιοῦντο non videntur valere ad improbandam Grotii (l. l. vol. X p. 113) et Schaeferi (l. l. vol. I p. 23 sqq.) sententiam, Byzantios etiam post pacem Antalcideam cum Atheniensibus foedus sustinuisse.

[4]) fr. 65 ap. Athen. XII p. 526.

[5]) in dissertatione quae inscribitur »der zweite athenische Bund« in ann. philol. suppl. VII p. 677.

[6]) Busolt l. l. ante Nausinicum archontem inter Athenienses et Byzantios exstitisse dicit »Bündnis«, postea »Bundesgenossenschaft«.

[7]) cf. Diod. XV, 28, cuius narratio cum optime congruat cum inscriptione, quae de hoc foedere nos edocet (de qua infra § 3 dicetur), eam iure Busolt l. l. p. 679 sqq. praetulit Plutarchi (Pelop. 15) et Xenophontis (Hell. V, 4, 34) narrationi, secundum quam foedus tum demum factum esse dicitur, cum Sphodrias Piraeeum petere conatus esset.

[8]) Diod. l. l. haec Calliae archontis anno (377/6) tribuit, sed hanc temporis rationem falsam esse Aristotelis plebiscitum, de quo § 3 dicetur, docet.

[9]) Hi sub Aristotelis plebiscito in sociorum indice ex temporum ordine confecto ante Thebanos leguntur, quos et ipsos iam ante Aristotelis rogationem mense Februario vel Martio a. 377 a populo probatam Atheniensium socios fuisse, quam Aristotelis plebiscitum (l. 24) probat.

[10]) cf. Arist. plebisc. l. 13 sqq.

[11]) quod edidit Hermae vol. V p. 10 sq.

intererat, auxilium ferrent[1]. Principatus in societate Atheniensibus concessus est, ita tamen, ut omnes sociorum civitates liberae essent et suis legibus uterentur[2]. Omnes autem sociorum civitates tam parvae quam magnae Athenas legatos miserunt, ex quibus constabat sociorum concilium[3] (συνέδριον), quod perpetuo[4] Athenis videtur fuisse et in quo unum quaeque civitas habebat suffragium[5]. Consuluit autem hoc concilium communibus sociorum rebus et eius auctoritas (δόγμα) Atheniensium de his rebus plebiscita (ψηφίσματα) antecedere debuit[6]. Ad communem autem sociorum classem maiores quidem civitates, in quibus haud dubie Byzantii et Perinthii numerandi sunt, naves mittebant, omnes[7] pecuniam conferebant, cui Callistratus nomen dedit συντάξεως[8], quamque praetores Atheniensium plerumque a sociis exigebant[9]. 11

§ 3. Hae foederis condiciones quamquam satis aequae erant, tamen plerique Graecorum civitates Atheniensibus propter res antea ab eis gestas ita diffidebant, ut ad augendum sociorum numerum condicionibus sociis utilioribus et latioribus opus esset. Quam ob rem septima eiusdem anni, quo foedus ictum erat, prytania (i. e. a. 377 mense Februario vel Martio) ex auctoritate concilii sociorum populus Atheniensium legem ab Aristotele Marathonio rogatam probavit, quae in columna lapidea scripta a. 1851 et 1852 Athenis reperta et ab Eustratiade in ἐπιγραφῶν ἀνεκδότων ἀνακαλυφθεισῶν καὶ ἐκδοθεισῶν ὑπὸ τῆς ἀρχαιολογικῆς [illegible] fasciculis I et II edita est. Eandem inscriptionem post alios addito sociorum indicis commentario edidit Arnoldus Schaefer in commentatione de sociis Atheniensium Chabriae et Timothei aetate (Grimae a. 1856). 4

Athenienses, cum Sphodrias Lacedaemonius, qui Piraeeum oppugnaverat, propter hanc rem in iudicium vocatus adiuvantibus regibus culpae absolutus esset, Lacedaemonios pacem solvisse rati bellum decreverunt et magnum exercitum magnamque classem exornare statuerunt, quibus Timotheum, Chabriam, Callistratum praefecerunt. Quibus factis[10] Aristotele Marathonio rogante populus decrevit, ut, si quis Graecorum aut barbarorum sive terram continentem sive insulas incolentium, quicunque non essent regi Persarum subiecti, socius fieri vellet Atheniensium eorumque

[1] cf. [illegible] I. 46 sqq.
[2] cf. Diod. XV, 28, Isocr. de pace 30, Paneg. 20, Bekk. Anecd. vol. I p. 300, corp. inscr. Gr. I p. 897. De [illegible] in talibus foederibus notione cf. Boeckh l. l. p. 658.
[3] cf. Diod. l. l., Bekk. Anecd. l. l.
[4] Aliter censet Grote l. l. vol. X p. 195; at vide argumenta, quae protulerunt [illegible] l. l. pag. 35, Schaefer vol. I p. 26, 2, Boeckh l. l. p. 658.
[5] cf. Diod. l. l., Plut. de glor. Athen. 8 p. 350.
[6] cf. Schaefer vol. I p. 26, 3.
[7] Parum minores tantum civitates [illegible] numerasse putant, sed hanc sententiam refutavit et maiores civitates et naves et [illegible] praebuisse ostendit Boeckh l. l. p. 703 sqq.
[8] cf. Theop. ap. Harpocr. s. v., Plut. v. Sol. c. 15.
[9] cf. Plut. Phoc. 7, Apollod. Dem. adv. Timoth. 49, Isocr. de permut. 113, Aeschin. de f. leg. 71.
[10] cf. Diod. XV, 29.

I, 3 sociorum, ei societatem inire liceret et libertate et suis legibus et, quacunque vellet, rei publicae forma utenti nec praesidio (φρουρᾷ[1]) nec praefecto in urbem recepto nec tributo (φόρῳ[2]) numerato. Quo autem magis sibi fiderent civitates, Athenienses, quidquid aut privatus aut res publica in finibus eorum, qui societatem inirent, possideret, pristinis dominis restituenda esse censuerunt[3]) et decreverunt, ne cui Atheniensium post Nausinicum archontem liceret aut privatim aut publice in finibus sociorum aut domum aut fundum emere aut pignori sumere aut aliter occupare, et, si quis fecisset, cum cuilibet sociorum liceret indicare sociorum concilio; hoc autem fundo vendito praemii dimidium ei daret, qui rem indicasset, dimidium communi sociorum thesauro adiceret[4]). Praeterea Athenienses decreverunt, ut, si cui urbium, quae societatem inirent, Athenis columnae essent plebiscita damnosa continentes, senatui, quicunque magistratu fungeretur, potestas esset eas tollendi[5]).

4 § 4. Cum hae aequiores condiciones ab Atheniensibus oblatae essent, mox auctus est sociorum numerus. Ordinem, quo singulae civitates in societatem receptae sint, ex sociorum indice, qui Aristotelis plebiscito adiunctus est, discimus. Nam Aristotelis lege id quoque statutum erat, ut et earum, quae iam societatem inissent, et earum, quae postea inirent, civitatum nomina plebisciti columnae inscri-

[1]) Si cui civitati propter belli periculum praesidium imponi necesse erat, hoc praesidium non φρουρά, sed φυλακή vocabatur; cf. Plut. v. Sol. c. 15 et inscriptionem apud Rangabé antiq. Hellen. n. 393.

[2]) Ut prius Atheniensium foedus ex principatu, quem de liberis civitatibus tenuerant Athenienses, paulatim in dominationem mutatum erat, ita φόρος, quod nomen initio pecuniam significaverat, quam liberae civitates in communem sociorum usum solverant (cf. Thuc. I, 96 sq. V, 18) notionem adeptus erat tributi, quod subiectae civitates Atheniensium aerario solvebant (cf. Busolt l. l. p. 653 sqq.). Quam ob rem cum φόρου nomen apud Graecos odiosum esset, Callistratus, qui, cum alterum foedus conderetur, in Atheniensium republica plurimum valuit, pecuniae, quam novos socios in communem usum conferre necesse erat, nomen invenit συντάξεις, cf. Theop. ap. Harpocr. s. v., Plut. v. Sol. c. 15.

[3]) cf. praeter Aristotelis plebiscitum Isocr. Plat. 44, Diod. XV, 29. Sub finem belli Peloponnesiaci Atheniensibus omnes extra Atticam possessiones ereptae erant (cf. Xen. Mem. II, 8, 1), et quamquam Diod. XV, 23 de novis Atheniensium κληρουχίαις loquitur, tamen de nullis Atheniensium possessionibus hac aetate traditur nisi de Lemno, Imbro, Scyro, quae eis pace Antalcidea concessae sunt. Cum autem de his insulis in novam societatem recipiendis cogitari nequeat, et cum cives Athenienses ut metoecos in alienis terris agros et praedia sibi parare potuisse non putent, Grote vol. X p. 103 sq. et Schaefer de Dem. eiusq. aet. vol. I p. 30, 3 in Aristotelis lege de eis urbibus territoriisque sermonem esse censent, quae ante infelicem belli Peloponnesiaci exitum in Atheniensium potestate fuerant, quaeque, quamquam non habuere, tamen iure sua esse Athenienses etiam multo post contenderunt (cf. Andoc. de pace 15). — At recte contra hanc sententiam monuit Busolt l. l. p. 687 plebisciti verba ea esse, quasi Athenienses possessionibus cessissent, quas re vera a. 377 tenuissent. Praeterea ex Xen. Hell. V, 2, 18 apparere in societatibus nonnunquam alius civitatis civibus in alius finibus agros possidere licuisse. Idem, quod ad publicas Atheniensium in sociorum agris possessiones attinet, Chrysopolim a. 391 ab Atheniensibus occupatam a. 377 Byzantiis traditam esse putat. Quam coniecturam, quam ille nullo fere argumento probavit, ego Ephori testimonio, quod Busoltium fugit, probare excursu I huic capiti addito conabor.

[4]) cf. Aristot. plebisc., Diod. l. l., Isocr. de pace § 92.

[5]) Hac legis parte mihi potissimum ea plebiscita contineri videntur, quibus agri in finibus sociorum sui civibus Atheniensibus adsignati erant.

berentur. De tempore autem, quo quaeque civitas foederi accesserit, disputavit A. Schaefer in commentatione, quam supra laudavi. Nobis hic de eis tantum urbibus dicendum erit, quae in Thraciae ora sitae sunt. E quibus post Byzantium et Perinthum prima Maronea foedus cum Atheniensibus videtur iniisse, quam aestate a. 377 a Chabria, cum Peparethum et Sciathum insulas Atheniensibus conciliasset[1], ab his insulis in Thraciam vecto Atheniensium societati iunctam esse ex ordine nominum in inscriptione, ubi Peparethios et Sciathios sequuntur Maronitae, Schaefer[2] probavit.

Deinde Charisandro archonte (a. 376/5) Chabrias, cum mensis Boedromionis die XVI Lacedaemonios ad Naxum vicisset[3], iterum in Thraciam venit. Triballi enim, qui ab Illyriis ad orientem, a Dardanis ad septentrionem ad Istrum fluvium incolebant, victus inopia coacti exercitu plus XXX milium hominum Thraciae partes meridianas invaserunt et Abderitarum terram vastaverunt. Cum autem multa praeda facta solutis ordinibus se reciperent, Abderitae omnibus copiis eos a tergo aggressi plus duo milia hominum interfecerunt. Quam cladem ulturi barbari Cnalete duce[4] reversi Abderitas a Thracibus sociis in media pugna desertos devicere[5]. Iam obsidio urbi imminebat, cum Chabrias cum Atheniensium copiis advenit et barbaris e terra eiectis et praesidio urbi imposito Abderitas periculo liberavit[6]. Falso Diodorus Chabriam tum dolo necatum esse refert, quippe qui ipse infra[7] Chabriam a. 357 ad Chium in pugna navali cecidisse narret. Ad hanc Chabriae expeditionem Thracicam pertinere videtur, quod scholiasta Aristidis rhetoris[8] Chabriam Abderitas et Maronitas, qui Triballos contra Abderitas adiuvissent, inter se conciliasse dicit, quamquam non multae auctoritatis illa testimonia esse Rehdantzius[9] docuit. Abderitas tum in Atheniensium societatem receptos esse cum summa veritatis specie Schaefer[10] coniecit. Ex ceteris autem urbibus et insulis ad Thraciae oram sitis Chabrias tum Atheniensium foederi iunxisse Schaefero[11] videtur Thasum, Chalcidem ad Athonem montem sitam, Aenum, Samothracen, Diraeam prope Abderam sitam; haec enim in sociorum indice

---

1) cf. Diod. l. XV c. 30.

2) comm. de soc. Ath. p. 9 sq.

3) de hac pugna cf. Grote l. l. p. 129 sq., Schaefer de Dem. eiusq. aet. vol. I p. 36 sqq. Haec pugna Pontici commercii causa commissa est. Nam cum naves frumentariae Atheniensium ex Ponto venientes propter Lacedaemoniorum classem ultra Geraestum progredi non possent, Chabrias, ut eis in Piraeeum cursum aperiret, ad Naxum pugnavit; cf. Xen. Hell. V, 4, 61.

4) cf. schol. Aristid. Panath. p. 172, 7.

5) cf. Diod. XV, 36, Aen. Tact. 15, 8.

6) cf. Diod. l. l.

7) l. XVI c. 7.

8) l. l. et ad p. 173, 16.

9) v. Iph., Chabr., Timoth. p. 63.

10) comm. de soc. Ath. p. 14.

11) l. l. p. 14 sqq.

II. 4. ante eos socios enumerantur, quos eodem Charisandri archonte anno in mari Ionico Atheniensibus paravit Timotheus [1].

In eadem expeditione Chabriam ceteras civitates Thracias, quae in sociorum indice leguntur, Elaeuntem in extrema Chersonesi parte, Selymbriam ad Propontidem, Dium ad Athonem montem, Neapolim in Thraciae ora contra Thasum sitam Atheniensium societati iunxisse Busoltius [2] probare conatus est. Argumentis utitur his: Omnes hae civitates Thraciae et multae maris Aegaei insulae in sociorum indice ante Zacynthiorum plebem Nelli habitantem enumerantur. Constat autem Timotheum Socratide archonte (a. 374), cum inter Athenienses et Lacedaemonios pax esset, exsules Zacynthios contra patriam urbem adiuvisse eisque parvum quoddam castellum in insulae ora situm expugnasse, et hanc rem cum aliis effecisse, ut vere a. 373 bellum inter Lacedaemonios et Athenienses renovaretur [3]. Videntur igitur urbes Thraciae, quas supra nominavi, inter annos 376 et 374 in Atheniensium societatem receptae esse. Iam Busoltius vestigium exstare putat, quod doceat Chabriam a. 375 Samothrace per medium mare Aegaeum domum esse revectum. Frontinus enim [4] Samios Chabriae portum clausisse tradit. Cum autem Samios hoc tempore Atheniensium inimicos fuisse constet [5] neque Chabriam aut antea aut postea cum classe Samum venisse sciamus, Busoltius Chabriam a. 375 Samum oppugnasse putat. Ad quam sententiam probandam accedere ait, quod in sociorum indice post Samothraces et civitates inter Samothracen et Samum sitae legantur, Elaeus, Antissa, Eresus, et civitates inter Samum et Athenas sitae, Amorgus, Sicinus, Siphnus, Tenus, Andrus, Ceus. Hanc Busoltii argumentationem ego probare nequeo. Nam ex civitatum sociarum nominibus de longioris Chabriae expeditionis itinere coniecturam facere propterea non licet, quod in nominibus, qualia in sociorum indice leguntur, nullus inest ordo geographicus. Post Samothraces enim leguntur Dicaeopolitae prope Abderam habitantes, deinde interiectis eis sociis, quos in mari Ionico a. 376/5 Atheniensibus paravit Timotheus, sequuntur Andrus et Tenus insulae ab Euboea inter meridiem et orientem sitae, Hestiaea in septentrionali Euboeae parte, Myconus a Teno inter meridiem et orientem sita, Antissa et Eresus Lesbi civitates, Astraeaesii civitas nobis ignota, tres Cei insulae urbes prope Sunium promunturium sitae, Elaeus in Chersoneso, Amorgus a Naxo inter orientem et meridiem sita, Selymbria ad Propontidem, Siphnus a Paro ad orientem, Sicinus a Naxo inter meridiem et occidentem, Dium et Neapolis in Thracia. Hic civitatum ordo mihi talis videtur, ut cogitari nequeat eas hoc ordine

1) cf. Diod. l. XV c. 36.
2) l. l. p. 761 sqq. contra Schaeferum disputans, de cuius sententia infra dicam.
3) cf. Xen. Hell. VI. 2, 2 sq. Diod. XV, 45 sq. Schaeferi comm. p. 18 sq.
4) Strateg. I. 4. 14.
5) Anno demum 365 Timotheus hanc insulam Atheniensibus recuperavit; vide infra § 9.

ab eodem viro Atheniensium societati conciliatas esse. Cum igitur nullo modo probari posse mihi videatur Elaeuntem Selymbriam, Dium Neapolim a Chabria a. 375 Atheniensibus esse conciliatas, tamen multo minus adsentiri possum Schaefero, qui has urbes a. 373 a Timotheo cum Atheniensibus foedere coniunctas esse existimat[1]. II, 4
Nam inde, quod post omnes has civitates in sociorum indice legitur Zacynthiorum plebs, recte Busoltius effecit Elaeuntem Selymbriam, Dium Neapolim ante aestatem a. 374 in Atheniensium societatem esse receptas. A quo autem duce hae urbes Atheniensibus conciliatae sint, nescimus.

§ 3. Archonte Socratide mense Munychione[2] (Aprili a. 373) Timotheus cum § 5
LX navibus ab Atheniensibus Corcyram missus est[3]. Iniussu autem populi eum in Thraciam vectum multas urbes ad societatem provocasse et XXX naves classi suae adiunxisse Diodorus narrat[4]. Cum autem populus aegre ferret, quod Corcyraeis non tulisset auxilium, ei primum quidem imperium abrogatum esse, postea vero cum Athenas venisset multos secum agens legatos civitatum, quae societatem inire vellent, omnibus rebus ad bellum optime instructis, populum consilii poenituisse et Timotheo imperium esse redditum. Quamquam Schaeferum[5] non fugit Diodorum hic multa falsissime narrasse, tamen Schaefer Timotheum re vera a. 373 in Thraciam expeditionem fecisse et Atheniensibus Elaeusios Selymbrianos, Dienses Neapolitas conciliasse putat. At falso eum has civitates tum demum cum Atheniensibus foedus inisse existimare supra docuimus. Busoltius autem[6] demonstrare conatur Timotheum hoc anno omnino non navigasse in Thraciam. Primum enim Xenophontem[7] dicere Timotheum accusatum esse, quod per insulas Cyclades circumvehens (ἐπὶ νήσων πλέων[8]) in classe instruenda tempus tereret. Ex oratione autem ab Apollodoro adversus Timotheum habita[9] apparere Timotheo insularum Cycladum tributa exigenda mandata esse, cum autem ille pecunias conquisitas male administrasset, classem male esse instructam. Tali vero classe Timotheum eas res gessisse, quas Diodorus ei adscribat, veri dissimillimum esse. Quae autem de legatis Timotheum comitantibus, de classe eius optime instructa, de lite ab eo feliciter vitata Diodorus narret, ea sibi spectare videri ad Timothei post exsules Zacynthios in pace a. 374 in patriam insulam reductos reditum. — At quamvis hac argumentatione ceteri Diodori errores

---

1) l. l. p. 18. Consentit cum Schaefero E. Curtius hist. Gr. vol. III p. 291 sq. Angelus de Schaeferi coniectura infra dicetur § 5.
2) cf. Apollod. adv. Timoth. 6.
3) cf. Diod. XV 47.
4) l. l.
5) comm. p. 13 sqq.
6) l. l. p. 671 sqq.
7) Hell. VI 2, 12.
8) Hac formula Cyclades insulas significari docuit L. Dindorf ad Xen. Hell. IV 8, 7.
9) § 6 sqq.

§ 5 explicantur, tamen intellegere non possum, quomodo ex itinere per Cyclades insulas ad pecunias classiarias conquirendas facto et felici ex insula Zacyntho reditu fingere potuerit felicem ab expeditione Thracica reditum. Quam ob rem mihi probabilius videtur Timotheum in pecuniis classiariis conquirendis non modo per Cyclades insulas circumvectum esse, sed etiam in Thraciam venisse. De civitatibus autem Atheniensium foederi adiunctis cogitari nequit. Quod Xenophon iter in Thraciam factum omisit et Timotheum per insulas tantum circumvectum esse dicit, id facile explicari potest, cum Busoltius ipse concedat Xenophontem saepe summi momenti expeditiones maritimas, quod cum Lacedaemoniorum rebus minus cohaererent, silentio praeterisse. Multo magis mihi iter ad pecunias classiarias conquirendas in Thraciam factum videtur omittere potuisse, quamquam Timothei classis contra Lacedaemonios instructa erat. Satis ei fuit significasse, in qua re tempus consumpsisset Timotheus, neque eius interesse potuit omnia loca, per quae Timotheus circumvectus esset, enumerare. Item facile explicari potest Isocratis [1]) et Dinarchi [2]) de hoc Timothei itinere Thracico silentium, si hoc iter ad pecunias tantum exigendas factum esse neque Timotheum in eo aut magnas victorias reportasse aut multas urbes cepisse statuimus.

§ 6. § 6. Civitatum, quae post Zacynthiorum plebem in Atheniensium societatem receptae sunt, nomina in sociorum indice deleta sunt. In eis Proconnesios fuisse ex oratione ab Apollodoro adversus Polyclem habita [3]) scimus. Qui quando cum Atheniensibus foedus inierint, ignoramus, hoc tantum constat ante Molonem archontem (a. 362) id factum esse.

§ 7. § 7. Quamquam autem iam complures Thraciae urbes cum Atheniensibus foedere iunctae erant, tamen in Chersoneso, quae per longum temporis spatium tota eis paruerat quamque sibi post pugnam ad Aegospotamos commissam ereptam esse gravissime tulerant [4]), una Elaeus urbs in extrema paeninsulae parte sita anno fere 375 in Atheniensium societatem recepta erat [5]), omnes ceterae urbes ab eis alienae manserant. Sestum munitissimam Chersonesi urbem [6]) et multas alias urbes ad Hellespontum sitas Ariobarzanes Phrygiae satrapa subiecerat [7]). Anno demum 365 Timotheus Atheniensium praetor Sesto et Crithote urbibus potitus bellum movit, quo per multos annos variis vicibus gesto Athenienses tandem a. 357 maximam Chersonesi partem recuperaverunt.

---

[1]) de permut. § 108 sqq.
[2]) in Philocl. § 17. in Demosth. § 14.
[3]) § 5.
[4]) cf. Andoc. de pace § 15.
[5]) vide supra § 4.
[6]) cf. Strab. XIII p. 591.
[7]) cf. Dem. in Aristocr. 141 sqq. Xenoph. Ages. 2, 26.

§ 8. Nostra huius belli notitia, cum rerum scriptores de eo tantum non tacesant, omnis fere ex oratorum scriptis percipitur maximeque ex duabus orationibus Demosthenis nomine inscriptis. Quarum altera ab Apollodoro Pasionis argentarii filio contra Polyclem non multo post annum 360 habita est[1]. Apollodorus enim a. 362 trierarchus in Hellespontum profectus erat, et cum Polycles, qui ei a. 361 successor designatus erat, et sero ad classem venisset et, cum tandem venisset, navem suscipere noluisset, itaque Apollodoro magni sumptus auctor fuisset, Apollodorus eum post reditum reum fecit et damni compensationem postulavit. Oratio, quam in hac causa habuit, inscribitur πρὸς Πολυκλέα περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος, et in codicibus Demostheni tribuitur, recentiores autem viri docti plurimi eam non a Demosthene, sed ab ipso Apollodoro scriptam esse putant[2]. Haec oratio propterea maximi aestimanda est, quod omnibus rebus, quae in ea narrantur, Apollodorus ipse interfuit et non modo res perspicue narrat, sed etiam tempora, quibus quaeque gestae sint, accurate definit. Hoc unum dolendum est, quod res gestae, quae in oratione Polyclea narrantur, XVII tantum mensium spatio (inde a mense Septembri a. 362 usque ad Februarium a. 360[3]) comprehenduntur. II, §

Totum autem belli cursum ex oratione Aristocratea cognoscimus, quam a. 352 Demosthenes ad Euthyclis cuiusdam usum contra legem ab Aristocrate in Charidemi Oritae, qui in hoc bello multis damnis Athenienses affecerat, favorem rogatam composuit[4]. In qua oratione quamquam res non descriptis temporibus tradi dolendum est, tamen ea, quae narrantur, non minore fide digna sunt, quam quae ex oratione Polyclea cognoscimus, nam et Euthycles, qui hanc orationem habuit, et Demosthenes, qui eam scripsit, a. 359 cum Cephisodoto imperatore in Hellespontum trierarchi vecti erant et nonnullis rebus, quas narrant, ipsi interfuerant[5]. Augetur autem fides eo, quod, quamquam utrumque post reditum in Cephisodoti accusatoribus fuisse et, ut magna ei multa imponeretur, effecisse scimus, tamen in hac oratione de rebus ab eo male gestis modestissime loquuntur[6]. — Cum his duabus orationibus ceterorum scriptorum testimonia conferens iam belli originem et cursum narrabo.

§ 9. Ariobarzanes Phrygiae satrapa, cui a Philisco Abydeno maximam Chersonesi partem subiectam esse supra diximus, anno fere 367 a. Chr.[7]) a Persarum § 9.

---

1) cf. Schaeferi de Dem. eiusq. aet. vol. III. 2. p. 147 sqq.
2) cf. Schaeferum l. l. p. 184 sqq., Siggium in ann. philol. suppl. VI p. 397 sqq.
3) cf. or. adv. Polycl. § 1 et 4.
4) vide infra cap. III § 4.
5) de Euthycle cf. Dem. in Aristocr. § 5 et 165 sqq., de Demosthene Aesch. in Ctes. 51 sq.
6) cf. Dem. l. l. § 165 sqq.
7) Tempus recte definivit Rehdantz l. l. p. 120 sqq.

a rege defecit. Simul Cotys Odrysarum rex [1]), qui Chersonesum sibi subicere cupiebat, Ariobarzani bellum intulit. Quam ob rem Ariobarzanes et a Lacedaemoniis et ab Atheniensibus auxilium petivit. Illi Agesilaum legatum potius quam imperatorem, Athenienses simul Timotheum praetorem miserunt [2]). Qui cum in Asiam venirent, Ariobarzanes iam ab hostibus vehementissime premebatur. Ipse enim Assi ab Autophradate satrapa obsidione cinctus erat, et Sestum Cotys oppugnabat, utriusque autem urbis obsidionem Mausolus Cariae princeps classe centum navium adiuvabat. Agesilaus autem, simul atque advenit, Ariobarzanis hostes qua metu qua persuadendo movit, ut ab obsidionibus desisterent [3]). Cotys iam contra Athenienses, a quibus antea civitate donatus erat [4]), se convertisse et Perinthum urbem cum eis foedere coniunctam adgressus esse videtur [5]). Athenienses autem mercennariorum praesidio urbi imposito [6]) eius impetum feliciter sustinuerunt [7]). His mercennariis Ariobarzanes per Philiscum stipendia numeranda curavit et ita de Atheniensibus meritus est, ut illi non modo ipsi et tribus eius filiis, sed etiam eius ministris Philisco et Agavio Abydenis civitatem Atticam darent [8]). Tamen Timotheo ab Atheniensibus, qui Ariobarzanem non aperte a rege defecisse, sed cum aliis satrapis bellum gerere videntur credidisse, praeceptum erat, ut caveret, ne foedus cum rege Persarum initum violaret [9]). Quare Timotheus, cum Ariobarzanem iam palam a rege defecisse videret, a bello in Asia gerendo se abstinuit, sed cum Samo insulae a Tigrane regis satrapa Cyprothemin praefectum esse videret, Samum vectus post X mensium obsidionem insulam cepit anno 366/5 [10]). Deinde in Hellespontum reversus Sesto et Crithote oppidis potitus est, quae ei ab Ariobarzane pro auxilio lato dono data esse Nepos tradit [11]). Hoc testimonium Schaefer [12]) aprevit, cur autem spreverit, non dixit. Mihi quoque hoc testimonium videtur esse reiciendum; nam ex Isocrate mihi videtur appa-

---

[1]) Odrysarum regnum omnes Thraces complectebatur, qui inde ab Hebro fluvio et Cypselis oppido usque ad Odessum urbem ad Pontum Euxinum situm supra oram maritimam incolebant. cf. Strab. l. VII fr. 48.

[2]) cf. Xenoph. Agesil. 2, 26, Nep. v. Timoth. c. 1.

[3]) cf. Xenoph. Agesil. l. l.

[4]) cf. Demosth. in Aristocr. 118. Cum hoc Cotyi nuntiaretur, is respondisse dicitur: »Et ego illis meam gentis ius dabo«. cf. Val. Max III, 7 ext. 7.

[5]) Prope Perinthum Cotyis castella erant. cf. Aristot. Oec. 2, 27 p. 1351 a.

[6]) cf. Dem. l. l. § 142 [illegible]. In his verbis mihi ut Schaefero (l. l. vol. I p. 86) Demosthenes videtur dicere Philiscum Atheniensium mercennariis, qui Perinthi essent, stipendia praebuisse; nam totius loci sententia postulat, ut de Philisci erga Athenienses beneficiis cogitemus. Falso igitur Grote l. l. vol. X p. 294 de Ariobarzanis mercennariis videtur cogitasse, cum Perinthum Ariobarzani paruisse narret.

[7]) cf. Dem. l. l. § 165; vide infra § 17.

[8]) cf. ibid. § 141 sqq. 202.

[9]) cf. Dem. pro Rhod. lib. § 9.

[10]) cf. Dem. l. l., Isocr. de permut. § 111 sqq., Nep. Tim. c. 1., de tempore cf. Diod. XVIII. 18.

[11]) l. l.

[12]) vol. I p. 89 n. 4.

non has urbes vi esse captas. Schaefer quidem aliter censet, dicit enim haec[1]: »Timotheus besetzte, wie es scheint ohne Schwertstreich, zwei der wichtigsten Plätze an der Meerenge, Sestos und Krithote«[1]. Idem quod Schaefer Busoltus[2] censet eo usus, quod Isocrates de his urbibus verbis utitur κτησάμενος[3] et λαβεῖν[4], non verbo ἑλεῖν. — At Isocrates diserte dicit se urbes enumeraturum esse, quas Timotheus κατὰ κράτος[5]. Atque cum ceteras urbes, quas enumerat, vi captas esse constet[6], hoc de Sesto quoque et Crithote videtur esse statuendum. Praeterea Isocrates illa tria verba κτήσασθαι, λαβεῖν, ἑλεῖν omnia de urbibus vi captis usurpat[7]. Occasionem autem urbes occupandi Timotheo tum datam esse, cum Ariobarzane et Philisco interfectis[8] Chersonesus domino careret, recte Schaefer[9] cognovit. Neque tamen hae urbes ut liberae civitates in Atheniensium societatem receptae esse videntur, sed potius colonis Atticis adsignatae[10].

Cum iam duae Chersonesi urbes Atheniensibus parerent, tertia eis foedere iuncta esset, Athenienses rebus Chersonesi plus operae dare coepere[11], et cum Cotys Odrysarum rex et ipse Chersonesi cupidus esset, bellum inter eum et Athenienses iam multo acrius exarsit. Tamen Timotheus, cum ei simul bellum Amphipolitanum traditum esset, per aliquantum temporis spatium a bello cum Cotye gerendo destitit.

---

1) l. l. p. 89.

2) l. l. p. 806 sq.

3) de permut. § 108.

4) l. l. § 112.

5) l. l. § 113.

6) De Samo vi capta cfr. supra et Schaefer vol. I p. 87 sq., de Potidaea Schaefer vol. I p. 90 sq., II. 14, I, de Torone Diod. XV. 81. Corcyraeos sua sponte Atheniensibus portas aperuisse Schaefer vol. I. p. 40 sq. cf. Busolt l. l. tradunt. At apud veteres auctores de hac re nihil legitur. Nepos Tim. 2 haec dicit: (Timotheus) »Corcyram sub imperium Atheniensium redegit«. Xenophon haec (Hell. V. 4. 64): [illegible]. Cum autem magnopere Timothei temperantia praedicetur, quod Corcyraeos non in servitutem vendiderit neque in exsilium egerit neque leges mutaverit, apparet eum secundum belli ius ea facere potuisse.

7) Participio κτησάμενος Isocr. § 108 de omnibus urbibus pariter utitur; λαβεῖν de urbibus vi captis usurpari ex § 107 apparet: [illegible]

8) Ariobarzanes a regis satrapis captus et cruci adfixus est; cf. Harpocr. s. v., Philiscus a Thersagora et Execesto Lampsacenis interfectus est, cf. Dem. in Aristocr. § 141.

9) vol. I p. 89.

10) Ita recte Schaefer l. l. p. 4 videtur interpretatus esse Nepotis verba (c. Timoth. c. 1): »(Timotheus) [illegible] agro [illegible] urbibus augere maluit, quam id auferre, cuius partem domum suam portare posset.« Item Isocr. de permut. § 107 in omnibus urbes a Timotheo captas colonis [illegible] videtur verbis, quae in nota 7 excerpsi. Idem eo probatur, quod Crithote, quamquam non ut Sestus a. 453 iterum ab Atheniensibus capta est, tamen non invenitur inter illarum Chersonesi civitatum inscriptiones, quas edidit Kirchhoffius in dissertationibus [illegible] publ. in hist. acad. reg. Berol. a. 1873 [illegible] p. I sqq., de quo plenius dicam in [illegible] de rebus Chersonesi capite III addito. — Videtur igitur dominatio Sestiorum et Crithotensium [illegible] non multum esse mutata; nam sub Ariobarzane quoque et Philisco imperio urbium Hellespontiacarum condicionem admodum duram fuisse ex Dem. in Aristocr. § 141 apparet.

11) cf. Isocr. de permut. § 111.

9. Contra Amphipolim enim, quae urbs et a Graecis et ab Amynta Macedonum rege et a Persarum rege Atheniensibus addicta erat [1], sed ab Olynthiis tenebatur, iam anno 368, cum Alexandro II Macedonum rege interfecto Pausanias regnum adfectaret [2], Iphicrates praetor missus erat, qui cum per plus tres annos bellum non ita prospere gessisset [3], anno 365 vel 364 imperium ei abrogatum et Timotheo mandatum est. In Iphicratis exercitu Charidemus Orites [4] mercennariorum dux stipendia meruerat, qui, cum Iphicrates a praetura amotus esset, Amphipolitarum obsides, quos Iphicrates ei custodiendos mandaverat, quosque Athenas vehere iussus erat, Amphipolitis reddidit eoque maxime impedivit, ne Timotheus urbem expugnaret. Deinde cum Timotheus eum et ipse conducere vellet, Charidemus cum Atheniensium navibus ad Cotyn Atheniensium hostem transfugit [5]. Paulo autem post, cum Timotheum, antequam Cotyi bellum inferret, cum Olynthiis debellare constituisse videret et in Chersoneso bellum gerere nondum posset, Olynthiis se locavit, sed cum Cardia Amphipolim veheretur, ab Atheniensibus captus est, qui eum secum contra Olynthios bellum gerere coegerunt [6]. Bellum Amphipolitanum, cum ad res Macedonicas potius quam Thracicas pertineat, ego omitto. Timotheus cum per aliquantum temporis spatium, quamquam Amphipolim ipsam expugnare non potuit [7], tamen non sine magno et prospero successu bellum in Chalcidice gessisset, in Hellespontum rediit, ubi Cyzicenos obsidione liberasse traditur [8], archonte Timocrate (a. 364/3 [9]). Tum ad Timotheum venerunt legati a senatu Heracleae urbis Bithyniae, qui, cum illa urbs internis seditionibus vexaretur [10] et plebs tabulas novas et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret, diu re in senatu agitata, cum exitus rei non inveniretur, iam externum contra plebem auxilium peterent. Ac primum quidem ad Athenienses, quibuscum Heracleensibus non parvum erat commercium [11], se converterunt. Timotheus autem legatos infecta re

---

[1]) cf. Aesch. de f. leg. 32, Dem. de f. leg. 253, Heges. de Halonn. 29.

[2]) cf. Aesch. l. l. § 26 sq.; de tempore cf. Diod. XVI, 71.

[3]) cf. Schaeferi de Dem. vol. II p. 12 sq.

[4]) de Charidemi vita egit Rumpf apud Weberum in editione orationis Aristocrateae p. LX sqq.

[5]) cf. Dem. in Aristocr. § 149.

[6]) cf. ibid. § 150.

[7]) cf. Schaeferi vol. II p. 13 sq.

[8]) cf. Nep. v. Timoth. c. I.

[9]) cf. Diod. XV, 81. Grote vol. X p. 307 Thebanos Epaminonda duce Cyzicum oppugnatione putat; at Epaminondam post Timotheum in Hellespontum venisse infra § 10 docebo. Cum maiore veritatis specie Schaefer vol. I. p. 106 Cyzicum a satrapis regiis obsidione cinctam esse opinatur.

[10]) cf. Aristot. fragm. 158 apud Mullerum.

[11]) Callippus Lamptrensis, contra quem Apollodorus Pasionis filius orationem habuit adhuc servatam, Athenis Heracleensium proxenus erat (cf. illius orationis § 8). Multos Heracleenses Athenis vixisse Isocr. epist. 7 § 12 testatur.

remisit[1]). Byzantios quoque bello a Timotheo superatos esse Nepos[2]) tradit, de qua re ceteri scriptores tacent. Timotheum etiam Charicleide archonte (a. 363/2) praetorem fuisse inscriptio docet sexta huius anni prytanis facta, quam edidit Sauppius philologi vol. XIX p. 247. Utrum vero Timotheus, cum hoc plebiscitum fieret, iam Athenis fuerit necne, ex inscriptionis verbis non satis apparet[3]). Rediit certe ante finem huius anni[4]) magna praeda facta[5]).

§ 10. A Timotheo reiecti Heracleensium legati ad Epaminondam se con- § 10 tulerunt, qui paulo post Timotheum in Hellespontum videtur venisse[6]). Anno enim 364/3 Epaminondas in contione splendida oratione habita[7]) Thebanis persuasit, ut maritimum imperium sibi parare conarentur[8]). Statimque populus centum naves aedificandas esse decrevit. Ipse autem Epaminondas, ut Thebanis socios pararet, cum classe Chium, Rhodum, Byzantium vehi statuit[9]). Quod consilium Athenienses Lachete cum classe non parva misso frustra impedire conati sunt. Epaminondas enim Lacheti tantum metum iniecit, ut illum domum reverti cogeret, ipse autem feliciter iter conficeret. Ac complures civitates maritimae, quibus iam tum Atheniensium foedus videtur displicuisse, honorifice eum exceperunt et cum Thebanis amicitiam inierunt[10]). Nec iniuria Grotius[11]) statuere videtur hac prima et sola Thebanorum expeditione navali Atheniensium apud socios auctoritatem et in Hellesponto potestatem satis esse labefactatam; nam insequentibus annis Athenienses in Hellesponto multas clades accepisse infra videbimus. Byzantium quoque venit Epaminondas[12]), unde, cum ibi quoque amice exceptus esse et non sine fructu rem egisse videatur, iam ante hoc tempus Archebium et Heraclidem, qui a. 391 urbem Atheniensibus tradiderant, in exsilium

---

[1]) cf. Iust. l. XVI c. 3.

[2]) v. Timoth. c. 1.

[3]) Dissentiunt de hac re Sauppe l. l., Boehnecke «Demosth., Lykurgos, Hyperides und ihr Zeitalter» p. 208 sqq., A. Schaefer philol. vol. XIX p. 578 sq.

[4]) Nam iam mense Metagitnione sequentis anni (Septembri a. 362) Ergophilus eius successor a praetura amotus est.

[5]) Mille et ducenta talenta eum ex hoc bello in aerarium rettulisse Nepos l. l. tradit. — Elaeuntem hoc tempore a Timotheo expugnatam esse Schultz de Chers. p. 97, 4 coniecit; nos autem ex inscriptione post Schultzii dissertationem inventa Elaeunteos iam a. fere 375 cum Atheniensibus foedere iunctam esse scimus (vide supra § 4).

[6]) Grote vol. X p. 307 aut eodem tempore aut parvo intervallo interiecto utrumque in Hellesponto fuisse putat. At utrumque eodem tempore ibi fuisse veri dissimile est, nam tum haud dubie Timotheus, quippe cui magna Chersonesi pars pareret et Cyziceni amici essent, Epaminondam prohibuisset, quominus Byzantium navigaret. Cum igitur parvo intervallo interiecto eos in Hellespontum venisse veri simile sit, Timotheum ante Epaminondam ibi fuisse haud scio an inde efficere possimus, quod Heracleensium legati primum Timotheum, deinde Epaminondam adierunt.

[7]) cf. Aesch. de f. leg. § 105.

[8]) cf. Diod. XV, 78. Qua auctoritate nisus Busolt l. l. p. 803 et alibi hanc Epaminondae expeditionem maritimam anno 366/5 tribuat, nescio.

[9]) cf. Diod. l. XV c. 79, Plut. v. Philop. c. 14.

[10]) cf. Diod. l. l.

[11]) l. l. vol. X p. 307.

[12]) cf. Isocr. Phil. § 53.

§ 10. actos esse statuendum est. Athenienses hos viros de se optime meritos ex patria expulsos summis honoribus adfecerant πρoξένους et εὐεργέτας nominantes eisque omnium rerum immunitatem tribuentes [1]. Certum tempus, quo Archebius et Heraclides patria expulsi sint, definire non possumus. Byzantios proximis annis Atheniensium navibus mercatoriis incommodasse infra narrabimus. Iam tum aperte eos Atheniensium foedus reliquisse Busoltius [2] putat; sed cum Diodorus [3] eos anno demum 357 ab Atheniensibus defecisse narret, mihi veri similius videtur foedus nondum aperte a Byzantiis esse renuntiatum.

Cum Epaminondas in fretis Thracicis versaretur, Heracleensium, ut iam dixi, senatus legati a Timotheo reiecti ad eum venerunt auxilium contra plebem petentes [4]. Sed ut Atheniensium ita Thebanorum non potuit interesse, ut plebs Heracleae imperium amitteret; plebis enim arbitrio omnia in utraque civitate regebantur [5].

§ 11. § 11. Ab utroque igitur imperatore spreti Heracleensium legati ad Clearchum, quem antea ipsi in exsilium egerant, decurrere et, quem patria pepulerant, eum ad patriae tutelam vocare coacti sunt [6]. Clearchus autem per senatum in patriam revocatus mox plebe nisus contra senatum se convertit et tyrannidem occupavit anno 363, quam per XII fere annos tenuit [7], quoad anno 352 die festo Dionysiorum interfectus est [8]. Primis temporibus, quibus Clearchus causae populari litterisque se studere simulabat [9], eum cum Timotheo et Atheniensibus amicitiam inisse, quamquam certo probari nequit [10], tamen satis veri simile est. Demosthenes enim [11] Athenienses, cum Timotheo donum darent, huius gratia Clearcho aliisque quibusdam civitatem dedisse ait. Hic Clearchum Heracleae tyrannum significari iam Reiskius [12] suspicatus est. Ad hanc coniecturam probandam duo argumenta protulerunt Westermannus [13] et Schaefer [14]. Primum enim Clearchum Athenis per IIII annos Isocratis scholas adisse scimus [15]. Cum autem Isocratis cum Timotheo amicitia notissima sit [16], non est improbabile per Isocratem Timotheum Clearchi amicum factum esse. Deinde Clearcho

---

1) cf. Dem. adv. Lept. § 60, 61, 63. De Archebio et Heraclide vide supra § 1.
2) l. l. p. 803, 810.
3) l. XVI c. 7.
4) cf. Iust. XVI, 4.
5) cf. Rehdantz l. l. p. 136.
6) cf. Iust. l. l.
7) cf. Diod. XV, 81. Iust. l. l., Memn. l. 4.
8) cf. Diod. XVI, 36.
9) cf. Iust. l. l., Memn. l. l.
10) cf. Wolf ad Dem. adv. Lept. § 84. Rehdantz l. l. p. 246.
11) adv. Lept. § 84.
12) ind. hist. ad Dem. s. v.
13) Ztschr. f. d. Alterth. Wissensch. a. 1844 p. 772.
14) de Demosth. vol. I p. 107.
15) cf. Memn. l. l., Suid. s. v. Κλ., Isocr. ep. 7. § 11.
16) cf. Isocr. de perm. § 101 sqq., Rehdantz p. 180 sqq.

in tyrannide successisse scimus filium nomine Timotheum[1], quod nomen, si Timo- B.A.1
theum et Clearchum familiaritatis aut affinitatis vinculo iunctos esse statuimus, facile explicari recte monent Westermannus et Schaefer. His argumentis Rehdantzius[2] opposuit, quod Demosthenes in oratione Aristocratea[3], ubi duos homines, qui per Timotheum civitatem adepti postea se hoc dono indignissimos fuisse ostendissent, nominaret, Clearchum, quem in tyrannide summa crudelitate usum esse constaret[4], omitteret. At mihi in hac re minus videtur esse offendendum. Nam quamquam de Phrasieride et Polystrato, qui per Timotheum civitatem adepti erant, sceleribus nihil constat, tamen ex totius loci conexu vix potest dubitari, quin contra ipsum populum Atheniensium summopere peccaverint. Philiscus enim et Agavus Abydeni, qui per Ariobarzanem civitatem Atticam adepti erant, propterea dono indigni erant, quod *ἀποστάται* erant, et Charidemus Orites[5] quantas insidias Atheniensium populo, a quo civitate donatus erat, paraverit, ex oratione Aristocratea satis apparet[6]. Clearchus autem Heracleensis, quamvis crudelis contra cives suos esset, tamen contra Athenienses nihil videtur peccasse, cur hic ut dono indignus a Demosthene commemoraretur. Quam ob rem ego Westermanno et Schaefero adsentiens Timotheum, cum a. 363 vel 362 multis victoriis reportatis magnaque praeda facta domum rediisset, ut Clearcho Heracleae tyranno civitas Attica daretur, effecisse puto.

§ 12. Timotheo in Hellesponto res ita prospere cesserant, ut tota fere Cher- § 12
sonesus a. 363/2 Atheniensibus pareret[7]. Successit ei in Hellesponto Ergophilus, qui iam mense Metagitnione anni Molonis archontis (a. 362 Septembri) propter res infeliciter gestas a praetura amotus et proditionis accusatus est. In qua causa eum magnopere adiuvit, quod pridie eius diei, qua ei causa apud iudices oranda erat, Athenienses Callisthenem propter indutias ignominiosas cum Perdicca Macedonum rege factas[8] capitis damnaverant. Hac enim sententia lata iudicum animi ita placati erant, ut Ergophilum, cui magis quam Callistheni succensuerant, pecunia tantum multarent[9].

§ 13. Archonte Molone mense Metagitnione (Septembri a. 362) in Ergo- § 13
phili locum suffectus est Autocles, qui antequam ad classem profectus est, nuntii Athe-

---

1) cf. Diod. l. XVI c. 36, Isocr. epist. 7.
2) l. l. p. 116 n. 3.
3) § 202.
4) cf. Iust. l. l., Isocr. l. l.
5) de quo § 203 loquitur Demosthenes.
6) de rebus a Charidemo perfide contra Athenienses gestis vide supra § 9 et infra § 17 sqq.
7) Quamquam enim omnes, qui accusati sunt, duces Atheniensium rem male gesserunt, tamen Sestus etiam a. 361 amissa (cf. Apollod. adv. Polycl. § 19 sq.), Crithote et Elaeus etiam a. 359 (cf. Dem. in Aristocr. § 156) Atheniensium fuerunt.
8) cf. Aesch. de f. leg. § 30 sq.
9) cf. Aristot. Rhet. II, 3 p. 1380 b. 13 sqq., Dem. de f. leg. 180.

nas venerunt, qui populum moverunt, ut bello paulo maiorem curam impenderet. Primum enim Tenum insulam ab Alexandro Pheraeo captam esse et incolas sub corona venisse nuntiatum est [1]. Deinde Miltocythes Thrax, qui a Cotye rege defecerat, legatos Athenas misit se Atheniensibus, si illi secum foedus inirent, totam Chersonesum restituturum esse promittens [2]. Praeterea Proconnesii Atheniensium socii a Cyzicenis [3]) bello terra marique oppressi legatos misere auxilium petituros [4]. Denique mercatores et navicularii querebantur, quod naves frumentariae ex Ponto venientes a Byzantiis Chalcedoniis Cyzicenisque caperentur, ac iam Athenis frumentum pluris venibat [5].

De his rebus cum mensis Metagitnionis die XXIIII [6] (medio mense Septembri a. 362) contio haberetur, Aristophonte auctore populus decrevit, ut trierarchi naves in mare detraherent et quam celerrime ad expeditionem exornarent, ut senatores et demarchi demotarum indicibus confectis trierarchis nautas mitterent, ut classis, quam primum posset, portum relinqueret et omnibus sociis opem ferret [7]. Dum vero Athenienses in classis apparatu versantur, Miltocythes, qui hoc Atheniensium plebiscito nondum videtur contentus fuisse, ut maiora sibi auxilia impetraret, ipse Athenas venit [8]. Simul autem Cotys rex epistolam misit, qua optima quaeque pollicitus Athenienses hortatus est, ne Miltocythem adiuvarent [9], facile sibi Athenienses credituros esse ratus. Quae spes eum non fefellit. Nondum enim classis portum reliquerat, cum alterum Atheniensium decretum factum est, quo Miltocythi spes maioris auxilii adempta est, quam ob rem Atheniensibus diffidens in Thraciam rediit [10]. Huic peccato alterum addiderunt Athenienses, quod, quamquam ad classem exornandam magnum tributum exactum est [11], tamen neque naves validis nautis neque ducem necessaria pecunia instruxerunt. Apollodorus enim Pasionis filius, qui tum trierarchus fuit, sibi paucos eosque invalidos nautas missos esse et, cum ipse sibi validos conduxisset, Autoclem

---

1) cf. Apollod. adv. Polycl. § 4.

2) cf. Apollod. l. l. § 5, Dem. in Aristocr. § 104.

3) Schaefer vol. I p. 106, 2 inde effecit Cyzicum tum liberam fuisse.

4) cf. Apollod. l. l. § 5.

5) cf. ibid. § 6.

6) cf. ibid. § 4.

7) cf. Apollod. l. l. § 6.

8) Hoc recte effecit Grote vol. X p. 372, 2 ex Dem. in Aristocr. § 104: *ἔγραψέ τις παρ' ὑμῖν ψήφισμα τοιοῦτον, δι' οὗ Μιλτοκύθης μὲν ἀπῆλθε φοβηθείς.*

9) cf. Dem. l. l. § 114 sq.

10) cf. Dem. l. l. § 104 sq: *Μιλτοκύθους δ' Αὐτοκλέους ἐκπλεῖν στρατηγοῦ ἔγραψέ τις παρ' ὑμῖν ψήφισμα τοιοῦτον, δι' οὗ Μιλτοκύθης μὲν ἀπῆλθε φοβηθεὶς καὶ νομίσας ὑμᾶς μὴ προσέχειν αὐτῷ, Κότυς δ' ἐγκρατὴς τοῦ τε ὄρους τοῦ ἱεροῦ καὶ τῶν θησαυρῶν ἐγένετο. καὶ γὰρ ἔτι μετὰ ταῦτα Αὐτοκλῆς μὲν ἐκρίνετο ὡς ἀπολωλεκὼς Μιλτοκύθην.* Cum Autocles postea, quod Miltocythem perdidisset, damnatus sit, Athenienses ne hoc quidem posteriore plebiscito Miltocythi omne auxilium videntur negasse, sed potius priore decreto stetisse, quo parum auxilii decretum erat. Cumque iam Miltocythes Atheniensibus diffideret, hoc posterius decretum effecit, ut Cotys hostes inter se discordes facile vinceret.

11) cf. Apollod. adv. Pol. § 8

eis per VIII menses nulla stipendia numerasse queritur [1]). Talis autem cum esset II, 1
classis status, et cum Miltocythes Atheniensibus diffideret, impediri non potuit, quominus Cotys mox Monte Sacro et thesauris, qui in Miltocythis potestate videntur fuisse, poureetur [2]) et iam insequenti anno totius rursus regni dominus esset [3]).

Cum Autocles VIII menses classi praefuisset, Apollodorus legatos [4]) Athenas ducere iussus est. Iam populus (Apollodori fortasse querelis motus) Autoclem a praetura amovit, quem postea (non ante a. 360) Apollodorus Hyperidis fortasse oratione usus [5]), quod Miltocythem perdidisset, reum fecit [6]).

§ 14. Praetor suffectus est Meno, quem Apollodorus, cum pro nautis, qui § 1
eum deseruerant, alios conduxisset et propter operam in trierarchia consumptam a populo laudatus et in prytaneum ad cenam invitatus esset, nave in Hellespontum vexit [7]). Qui quamquam nonnulla pecunia instructus erat, ut trierarchi duorum mensium stipendia acciperent nautis numeranda [8]), tamen non magis prospere quam Ergophilus et Autocles rem videtur gessisse; nam et ipse postea, haud dubie propter rem male gestam, ab Apollodoro publice accusatus est [9]).

§ 15. Archonte Nicophemo mense Metagitnione (Sextili vel Septembri a. a. § 1
Chr. 361) Menoni successit Timomachus non maioribus ab Atheniensibus opibus instructus quam priores duces. Multi enim nautae, cum stipendia non solverentur, naves deseruerunt aut in continenti stipendia meritori aut in navibus Thasiorum et Maronitarum, quibus tum de Stryme bellum erat [10]). Timomachus primum curavit, ut mercatores, quibus Byzantii et Chalcedonii iterum incommodare minitabantur, tuto frumentum ex Ponto Athenas veherent, et Apollodorum cum triremi Sesto Hierum misit, ut naves frumentarias comitaretur [11]). Ab hoc itinere cum Apollodorus mense Pyanepsione (Octobri) Sestum revertisset, Timomachus Maronitarum sociorum naves frumentarias a trierarchis Maroneam remulco trahi iussit, unde classis mense Maemacterione (Novembri vel Decembri) Thasum venit [12]). Interim Athenienses Maronitas

[1]) l. l. § 7, 12.
[2]) cf. Dem. l. l.
[3]) cf. Dem. § 115.
[4]) cf. Apollod. adv. Polycl. § 12. Cuius legati fuerint, non dicitur; si Cotyis fuerunt, non est veri simile, quod Schaefer vol. I p. 135 suspicatur, eorum querelis motos Athenienses Autoclis imperium abrogasse; illis enim imperatoris hostilis neglegentia non potuit non grata esse. Omnino multo probabilius mihi videtur Apollodorum, quippe qui postea Autoclis accusator exstiterit, imperii et abrogandi auctorem fuisse.
[5]) cf. Kiessling, Lycurgi fragm. p. 240.
[6]) cf. Dem. l. l. § 104, pro Phorm. § 53.
[7]) cf. Apollod. l. l. § 12 sq.
[8]) cf. Apollod. adv. Pol. 14.
[9]) cf. Dem. pr. Phorm. § 53.
[10]) cf. Apollod. l. l. § 14 sqq.
[11]) cf. ibid. § 17 sqq.
[12]) cf. Apollod. l. l. § 20 sq.; de tempore cf. § 29.

15 et Thasios coëgerant, ut discordias suas de Stryme oppido ipsis diiudicandas mandarent [1], et, cum Stryme antiquitus Thasiorum fuisset [2], his oppidum addixerant. Cum autem Maronitae arbitrio parere nollent, Athenienses Thasios in Stryme oppugnanda adiuvare constituerunt et Timomachum hoc facere iusserunt. Timomachus igitur triremes Atheniensium peltastas Strymen ferre et naves frumentarias remulco trahere iussit. Cum autem Maronitae Thasios et Athenienses, ne naves appellerent, prohiberent, hi coacti sunt, ut mense Maemacterione totam noctem procellam, imbres, tonitrua in alto mari perferrent, semper metuentes, ne Maronitae in se impetum facerent [3]. Infecta igitur re Athenienses Thasum reverterunt, et Maronea ab hoc tempore ab Atheniensibus aliena videtur fuisse [4].

Thaso Timomachus in Hellespontum revectus est [5], ubi litteris a Cotye rege acceptis ita deceptus est, ut Cotyi copia fieret nonnulla Chersonesi oppida occupandi [6]. Deinde mense Februario a. 360 cum classe Athenas rediit [7], ubi mox ab Apollodoro in ius vocatus est [8] propter plura, ut videtur, crimina. Primum enim eum accusatum esse, quod Chersonesum Cotyi prodidisset, Demosthenes et Apollonius tradunt [9]. Praeterea ei crimini datum esse, quod Hegesandro quaestori peculatum permisisset, Aeschines testatur [10]. Alia crimina ex oratione Polyclea novimus, in qua Apollodorus queritur, quod Timomachus sibi legitimum successorem dare noluerit, et quod contra legem Callistratum exsulem e Macedonia Thasum vehendum curaverit [11]. Quod re vera ei crimini datum esse eo veri similius est, quod Callippum quoque Aexonensem,

---

[1] cf. Philippi regis epistolam Demosthenis orationibus insertam § 17.

[2] cf. Herod. VII, 108.

[3] cf. Apollod. l. l. § 21 sqq. In re narranda secutus sum Busoltium (l. l. p. 736 sq.), qui mihi optime contra Schaeferum videtur disputasse. Schaefer enim vol. I p. 135, 6 postea demum rem ab Atheniensibus diiudicatam esse putat et, cum hoc censeat, cogitur, ut Boeckhii (diss. acad. Berol. a. 1832 p. 19) verbis usus haec dicat: »Diese Einmischung in den Streit der Thasier und Maroniten über Stryme erscheint um so unverantwortlicher, da wenige Tage vorher die athenische Flotte letzteren auf ihr eigenes Verlangen freundschaftliche Dienste geleistet hatte«. — Omnes res optime explicantur, si cum Busoltio statuimus eodem tempore, quo Atheniensium classis Maronitarum naves frumentarias comitaretur, ab Atheniensibus Maronitarum cum Thasiis litem in Thasiorum favorem diiudicatam esse. Utrum autem secundae societatis legibus Atheniensibus ius concessum sit diiudicandi sociorum discordias necne, nescimus; sed id non prorsus improbabile esse Busoltius p. 650 docuit. Ipsum autem arbitrium mihi, ut supra significavi, non iniustum videtur fuisse.

[4] Unde Busoltius (p. 855) sciat Maroneam a. 358 in Thraciae regum dicionem venisse, nescio; apud Dem. in Aristocr. § 185 de hac re nihil legitur.

[5] cf. Apollod. adv. Pol. § 52.

[6] cf. Dem. l. l. § 115.

[7] cf. Apollod. l. l. § 53. Fortasse Cotys ipsis illis litteris fallacibus effecerat, ut Timomachus nullum iam Chersoneso periculum imminere ratus domum rediret et ita ipsi otium fieret oppida occupandi.

[8] cf. Dem. pro Phorm. § 53.

[9] Dem. de f. leg. 180, Apoll. in schol. ad Aesch. in Tim. § 56.

[10] in Tim. § 56.

[11] cf. Apollod. adv. Polycl. 43 sqq.

qui in accusando Callistrato Timomacho ministraverat [1], ab Apollodoro publice accusatum esse scimus [2]. Timomachus capitis damnatus est, sed, antequam damnaretur, in exsilium iverat [3].

§ 16. Timomacho statim anno 360 Cephisodotum successisse Rehdantzius et Grotius [4] putant et, quod illi coniecerunt, probari videtur scholio Aeschineo postea invento [5], quo Cephisodotus Callimede archonte (anno 360/59) in Hellespontum missus esse dicitur. At cum Cephisodotum Cotye demum mortuo in Hellespontum venisse sciamus [6], Cotyn autem regnante iam Philippo Macedone occisum esse veri simile sit [7], Philippus autem initio anni 359 regnum obtinuerit [8], Cephisodotum vere demum a. 359 in Hellespontum missum esse statuendum est. Proximus Timomachi successor haud scio an fuerit Theotimus, cui Callimede, ut videtur, archonte (a. 360) [9] Abydeni Sestum urbem eripuerunt [10], quique propterea ab Atheniensibus proditionis accusatus et capitis damnatus est, sed ut Timomachus, antequam damnaretur, ex urbe cessit [11].

§ 17. Interea Charidemus Orites, cuius supra mentionem fecimus [12], bellum in Asia gesserat et ab Artabazo satrapa, quem perfide deseruerat cuique nonnullas

---

1) cf. ibid. § 47 sqq.

2) cf. Dem. pro Phorm. § 53

3) cf. schol. Aesch. l. l., Hyper. pro Eux. col. 18.

4) Rehdantz v. Iph. p. 162 sqq., Grote Vol. X p. 375, 2.

5) ad or. in Ctes. § 51, de quo scholio egerunt Schaefer in ann. philol. vol. 93 p. 27 sq., qui primus hoc scholium invenit et cum ceteris novis scholiis in editione Aeschinea edidit, Schultzius ann. philol. l. l. p. 308 sqq.

6) cf. Dem. in Aristocr. § 163. 165.

7) cf. Boehnecke, Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner p. 725 sq., Schaefer de Dem. vol. I p. 139 n. 2: Boehneckius, ut sententiam suam probaret, primum Hegesandri fragmentum attulit apud Athen. VI p. 248 E servatum, in quo de Cotyis ad Philippum regem litteris sermo est; sed huic narrationi fidem derogat Grotius l. l. Praeterea Boehneckius attulit Theopompi Philippicorum libri I fragmentum ap. Athen. XII p. 531 E servatum, ubi Philippus rex Onocarsim in oppidum Thraciae venisse dicitur, ubi Cotys rex plerumque versari solitus esset. Grotius l. l. recte quidem monuit hic non dici Philippum et Cotyn Onocarsim convenisse. At tamen Philippum, ut cum Cotye colloqueretur, eo venisse veri simillimum est. Diodorus enim l. XVI c. 2 Pausaniam, qui cum Philippo de regno certaret, ad Thracum regem fugisse et eius auxilio Philippo regnum eripere voluisse narrat. Deinde c. 3 dicit Philippum ei regi, qui Pausaniam reducere vellet, muneribus datis persuasisse, ut ab eius causa desisteret. Cum autem ei reges, qui post Cotyis mortem de Thraciae regno inter se bellum gerebant, de Pausania reducendo cogitare vix potuerint, Cotys apud Diodorum videtur esse intellegendus.

8) cf. Schaeferi de Dem. vol. II p. 15 n. 7.

9) Cum Timomachus in Hellesponto esset, Sestus Atheniensium erat (cf. Apollod. adv. Polycl. § 21), cum autem Cephisodotus veniret, urbs iam ab Abydenis capta et Cotyi tradita erat (cf. Dem. in Aristocr. § 155). Huc A. Schaefer Mus. Rhen. vol. XIX p. 680 sq. rettulit Polyaeni l. I c. 37, ubi Abydeni Sestum cepisse dicuntur, cum Theodorus, qui urbi praeesset, noctu in suburbio cum muliere quadam adulteris operam daret. Theodorum falso Atheniensium ducem dictum esse putat pro Theotimo, quod nomen ei est apud Hyperidem pro Eux. col. 18. At haec coniectura incerta est, quamquam de alio tempore, quo Abydeni Sestum ceperint, non constat.

10) cf. Dem. in Arist. 158.

11) cf. Hyp. pro Eux. col. 18.

12) § 9 p. 28.

II,17. Troadis urbes eripuerat, obsidione premebatur [1]. Cumque iam salutis nullam fere spem haberet, ad Cephisodotum Atheniensem, qui Callimede archonte (a. 360/59) praetor fuit, epistolam misit, qua se Atheniensibus Chersonesum restituturum esse pollicitus auxilium petivit [2]. Atque cum Cephisodoto, quem Cotyis eiusque generi Iphicratis [3], qui nuper in proelio navali pro socero contra cives suos pugnaverat [4], inimicissimum esse omnes sciebant, pro Charidemo verba facienti populus aures praeberet, decretum est, ut Cephisodotus cum classe Charidemo auxilio mitteretur. Quod cum audisset Artabazus, a Memnone et Mentore uxoris fratribus motus est, ut, ne cum Atheniensibus bellum gereret, sponsione facta Charidemum incolumem abire sineret [5]. Ita praeter spem servatus Charidemus contra Athenienses perfidissime egit. Abydo enim ex urbe Atheniensibus inimicissima Sestum traiecit, quam Abydeni sub Cotyis auctoritate videntur tenuisse [6], et tantum aberat, ut Cotyi bellum inferret aut Atheniensibus Chersonesum subiceret, ut cum Cotye coniunctus Crithoten et Elaeuntem, ultimas Atheniensium in Chersoneso possessiones, obsidione cingeret [7], quod Cotys paulo ante ab Iphicrate frustra petiverat, qui civibus suis ultima oppida eripere noluit et iratus Cotye deserto primum Antissam in Lesbum insulam, deinde Dryn se contulit [8], quod oppidum ipse in Thracia condiderat [9].

Paulo autem post Cotys, cum XXIIII annos (383—359) de Odrysis regnasset [10], a Pythone et Heraclide Aeniis patris mortem ulciscentibus occisus filium reliquit admodum adolescentem Cersobleptem [11], quocum de regno certabant Amadocus [12] et Berisades [13]. De qua re Athenienses valde gavisi sunt: nam tribus regibus inter se bellum gerentibus, cum sibi quisque Atheniensium amicitiam quaereret [14], se cum Charidemo magnarum copiarum duce facile et Chersoneso potituros et cui vellent Thraciae regnum daturos esse sperabant [15]. Itaque Pythonem et Heraclidem civitate

[1] cf. Dem. l. l. § 154 sq.
[2] cf. ibid. § 156, 163.
[3] de Iphicratis cum Cotyis filia nuptiis cf. Athen. IV 131.
[4] cf. Dem. l. l. § 130 sq.
[5] cf. Dem. l. l. § 156 sq.
[6] Abydeni Cotyi fidei suae obsidem Iphiadis filium (de quo vide infra § 16) videntur dedisse.
[7] cf. Dem. l. l. § 158 sq., 162.
[8] cf. ibid. § 131 sq.
[9] cf. Theop. ap. Harpocr. s. v. Δρῦς.
[10] cf. Harpocr. s. v. Κότυς.
[11] cf. Dem. l. l. § 119, 163. Aristot. Pol. V, 10 pro Pythone Parrhonem nominat.
[12] Amadocus filius videtur fuisse eius Amadoci, quem Thrasybulus a. 391 cum Seuthe reconciliaverat (vide § 1); cf. Harpocr. s. v.
[13] cf. Dem. l. l. § 8.
[14] cf. ibid.
[15] cf. Dem. l. l. § 8 et 164.

et corona aurea donaverint [1]. Pytho primum Athenas venit, postea autem ad Philippum regem se contulit [2].

Interim Cephisodotus Demosthenis trierarchi nave vectus [3] cum classe in Hellespontum venerat et cum X navibus, ut se cum Charidemo iungeret, Perinthum profectus est, prope quam urbem Charidemum esse audiverat. Spes autem foederis Cephisodotum fefellit, nam per VII menses, quos classi praeerat, Charidemus, qui Cersobleptis partes capessiverat, Athenienses bello persequi non desiit. Primum enim ad Perinthum cum equitibus et levis armaturae militibus Athenienses prandentes adgressus multos nautas interfecit [4]. Deinde cum Athenienses Alopeconnesum oppidum in occidentali Chersonesi litore situm piratis eripere studerent, Charidemus piratis auxilio venit et cum Lampsacenorum classe coniunctus [5] non modo oppidum obsidione liberavit, sed etiam Cephisodotum coegit, ut secum foedus iniret maxime ignominiosum [6]. Propter quod foedus Cephisodotus a populo Atheniensium a praetura amotus et a Demosthene et Euthycle [7], qui postea Aristocratis accusator exstitit, in ius vocatus et V talentis multatus est, nec multum afuit, quin capitis damnaretur; tribus enim suffragiis absolutus est [8].

§ 18. Paulo autem post Charidemi crudelitate bellum inter reges Thraciae vehementissime exarsit. Miltocythes enim, quem a. 362 a Cotye defecisse et cum Atheniensibus de foedere egisse supra monuimus [9], Smicythionis cuiusdam proditione Charidemo deditus est, qui non ignorans Miltocythem, si Cersoblepti traderetur, servatum iri (lex enim Thraces popularem interficere vetabat), cum Cardianis Atheniensium et Miltocythis inimicissimis tradidit, qui eum, postquam filium caesum vidit, in mare miserunt [10]. Qua crudelitate moti Amadocus et Berisades Cersoblepti bellum intulerant, quod pro eis gessit Athenodorus Atheniensis Imbri natus, mercennariorum dux, qui postea Berisadis sororem in matrimonium duxit [11]. Qui Charidemum bello vehementer pressit et ad pacem coegit, qua omnes tres reges Chersonesum excepta Cardia urbe [12] Atheniensibus concessere, reliquam autem Thraciam inter se partiti

1) cf. ibid. § 119.
2) cf. ibid. § 127; Schaefer vol. I p. 138, 2.
3) cf. Aesch. in Ctes. § 51.
4) cf. Dem. l. l. § 163.
5) cf. schol. Aesch. in Ctes. § 51. Schaefer app. crit. vol. III p. 27.
6) cf. Dem. l. l. § 166 sq.
7) cf. Aesch. in Ctes. 52. Dem. l. l. § 5. 105 sqq.
8) cf. Dem. l. l. 167. Anthm. ap. Harp. s. v. ...
9) § 13.
10) cf. Dem. l. l. § 169.
11) cf. ibid. § 9 sq.
12) cf. ibid. § 181. Aiunt Chersonesi terminus fuit Iovis Terminalis ara extra Cardiam inter Pteleum et Leucen Acten posita; cf. Hegos. de Hal. 39 sq.

II,18 sunt [1]). Praeterea Charidemus se Iphiadis filium, quem, ut Sestus sibi tuta esset, ab Abydenis videtur accepisse, Athenodoro traditurum esse iuravit [2]).

Cum autem Athenodorus ab Atheniensibus pecunia non adiutus paulo post mercennarios dimittere cogeretur, et Athenienses Chabriam, qui archonte Cephisodoto (a. 358) praetor factus erat, cum una nave in Thraciam mitterent, Charidemus iam omni metu liberatus pacem modo initam neglexit et Athenodoro Iphiadis filium tradere recusavit. Chabriam autem coegit, ut foedus iniret eo, quod Cephisodotus inierat, multo turpius, quo Chersonesi vectigalia et decumas [3]) Cersoblepti concessit [4]).

§ 19 § 19. Quod cum Athenas nuntiatum esset, populus turpi foedere reiecto X legatos in Thraciam misit, qui aut Cersobleptem et Charidemum, ut pacem cum Athenodoro factam servarent, cogerent, aut, si illi pacem restituere nollent, ab Amadoco et Berisade iusiurandum in illam pacem acciperent et consulerent, quomodo bellum contra Cersobleptem optime gereretur [5]). Charidemus autem et Cersobleptes condicionibus a legatis propositis satis facere noluerunt et tempus inanibus negotiationibus triverunt. Quam ob rem Athenienses post expeditionem in Euboeam factam archonte Cephisodoto (a. 358/7 [6]) Charetem cum mercennariis in Thraciam miserunt dictatorem, quocum Charidemus metu motus praesentibus Athenodoro et regibus foedus iustissimum fecit [7]), quo Atheniensibus Chersonesum excepta Cardia concessit [8]). Haec pax Athenis Callippi Paeaniensis lege rata videtur esse facta, cuius rogationem Hegesippus [9]) frustra παρανόμων accusavit [10]). Utrum cum reliqua Chersoneso Sestus quoque Atheniensibus tradita sit et mox Abydenorum fortasse auxilio usa rursus ab eis defecerit [11]), an iam a. 357 Atheniensibus feliciter restiterit neque ante a. 353 ab eis expugnata sit [12]), certo diiudicare non possumus. Si Sestum a. 357 a Cersoblepte Atheniensibus traditam non esse statuimus, mirum est, quod Demosthenes in oratione Aristocratea de hac Cersobleptis perfidia tacet. Hoc tantum constat Sestum a. 353 a Charete esse captam [13]), et praeterea ex Nepotis de bello sociali verbis: »descierat Hellespontus« [14]) veri simile est Sestum bello sociali Atheniensibus inimicam fuisse.

[1]) cf. Dem. in Aristocr. 170. Amadocus oram maritimam a Maronea usque ad Chersonesum videtur obtinuisse; cf. Dem. l. l. § 183.

[2]) cf. Dem. l. l. § 176 sq. Iphiadem Abydi sodalicio cuidam praefuisse Aristot. Pol. V, 6 p. 1306 a narrat. Ex sodaliciis autem Abydi magistratus eligebantur; cf. ibid. p. 1305 b.

[3]) de quibus cf. Dem l. l. § 110.

[4]) cf. ibid. § 171, 176 sq.

[5]) cf. Dem. in Aristocr. 172.

[6]) cf. Diod. XVI, 7.

[7]) cf. Dem. l. l. § 173.

[8]) cf. ibid. § 181.

[9]) cf. Lib. arg. or. de Halonn.

[10]) cf. Heges. de Halonn. § 42 sq.

[11]) Haec sententia est Groti vol. X p. 380, XI p. 225, 258.

[12]) Haec sententia est Schaeferi de Dem. vol. I p. 402.

[13]) cf. Diod. XVI, 34.

[14]) v. Timoth. c. 3.

§ 20. Vix autem Cephisodoto archonte (a. 358/7) Cersobleptes Atheniensibus Chersonesum concesserat, cum duobus simul bellis exortis Atheniensium in Thracia auctoritas gravissime labefactata est. Primum enim propter Amphipolim captam Athenienses Philippo Macedonum regi bellum indixerunt idque bellum Chareti mandaverunt [1]. Deinde maiores sociorum civitates ab Atheniensibus defecerunt, in eis Byzantii et Perinthii. In belli socialis causas amplius inquirere huius quaestionis non esse censeo, cum magna sociorum, qui defecerunt, pars extra regiones Thracicas habitaverit [2]. De Byzantiorum adversus Athenienses inimicitiis ex eis, quae supra narravimus, satis constat. Iam anno 364/3 Byzantii cum Thebanis amicitiam inierant [3]. Annis 362 et 361 Atheniensium commercio frumentario incommodaverant [4]. Praeterea Callistratum ab Atheniensibus in exsilium actum apud se receperant [5].

Diu igitur abalienati ab Atheniensibus Byzantii Cephisodoto archonte (a. 357 vere [6]) cum Perinthiis [7], Chiis, Rhodiis, Cois Atheniensium societatem aegre ferentibus foedus iniere et Mausolo Cariae rege hortante Atheniensibus bellum intulerunt [8]. Ac statim Byzantii Selymbriam urbem finitimam Atheniensium sociam [9] contra pacem Antalcideam occupaverunt et finibus suis adiecere [10]. Deinde in Asiam transgressi Chalcedone urbe, cuius incolas iam antea cum Byzantiis Atheniensium navibus frumentariis incommodasse diximus [11], potiti sunt, quamquam pax Antalcidea eam Persarum regis esse iussit [12]. Sestum quoque Atheniensibus inimicam fuisse iam supra diximus [13]. Nec Cersoblepti fidem habere potuerunt Athenienses, sed per totum bellum

---

[1] cf. Aesch. de f. leg. § 70, Nep. l. l.

[2] de causis belli socialis cf. Schaeferum l. l. vol. I p. 145 sq., Hamiltonum l. l. p. 824 sqq.

[3] vide supra § 10.

[4] vide supra § 13 et 15.

[5] cf. schol. Aesch. de f. leg. § 124, de Callistrato v. supra § 15.

[6] Hoc anno bellum sociale ortum et per tres annos gestum esse Diod. XVI, 7 tradit. — Dion. Hal. de Lys. p. 480 archontibus Agathocle (a. 357/6) et Elpinico (a. 356/5) hoc bellum gestum esse dicit. Videtur igitur bellum sub finem anni Cephisodoti archontis (ante mediam aestatem 357) ortum esse (cf. Clinton fast. Hell. s. a. 357). Contra Schaeferi sententiam, qui vol. I p. 147, 2 Agathocle demum archonte bellum ortum esse censet, vide quae infra de Midia Parali quaestore dicentur.

[7] Perinthios quoque a. 357 ab Atheniensibus defecisse Schaefer vol. I p. 147 inde coniecit, quod Perinthii semper fere artissimo foedere cum Byzantiis iuncti erant, et quod Perinthii paucis annis post cum Philippo Macedonum rege foedus inierunt. — At tali coniectura opus non est, nam exstat testimonium, quod Perinthios bello sociali defecisse docet, quod Schaeferum quidem fugit, apud Plutarchum v. Demosth. c. 17: [illegible]

[8] cf. Diod. l. l. et c. 21, Dem. de Rhod. lib. § 3. 5, Isocr. de pace 16, Dion. Hal. de Isaei. p. 572.

[9] vide supra § 4.

[10] cf. Dem. l. l. § 26.

[11] vide supra p. 13 et 15.

[12] cf. Dem. de Rhod. lib. § 26.

[13] vide supra § 19.

II,20 sociale metuebant, ne ille iterum in Chersonesum impetum faceret [1]. Cum igitur Chalcedon, Byzantium, Selymbria, Perinthus, Sestus Atheniensibus hostiles essent et Cersobleptis fides dubia esset, mox Midiae Anagyrasii culpa veteres Atheniensium cum Cyzicenis inimicitiae renovatae sunt [2]. Nam cum Athenienses hostium naves mercatorias capiendas esse decrevissent [3], Midias, qui Cephisodoto archonte [4] Parali navis quaestor fuit, hac nave Cyzicenorum naves mercatorias cepit ex eisque V talenta lucratus est, qua re Cyzicenos Atheniensibus hostes reddidit [5].

Ut bellum cum Philippo de Amphipoli gerendum ita bellum sociale Athenienses mandavere Chareti, qui cum classe LX navium [6] primum Chium insulam aggredi statuit. Quo cum veniret, iam ad Chios defendendos aderant Byzantiorum, Coorum, Rhodiorum, Mausoli copiae. Chares terra marique Chiorum urbem oppugnavit. Nam dum ipse cum copiis terrestribus contra hostium copias ex urbe effusas pugnat, classis portum intrare conata est, in qua Chabrias trierarchus videtur fuisse [7]. Qui cum primus portum intrare studeret, pugna navali orta eius navis navium hostilium rostris percussa est et ipse fortiter pugnans cecidit [8]. Atheniensibus autem in hac pugna navali victis socii cum classe centum navium Lemnum Imbrum aliasque insulas Atheniensibus subiectas vastaverunt et ab incolis pecunias exegerunt. Deinde Samum obsidione cinxerunt [9].

Iam Athenienses Iphicratem et Timotheum et Menestheum, illius filium, huius generum, praetores fecerunt [10]. Quibus cum adiunctus esset Chares cum copiis ex

---

1) cf. Isocr. de pace § 22.

2) de prioribus Cyzicenorum adversus Athenienses eorumque socios Proconnesios inimicitiis vide supra § 15.

3) Hoc ad belli socialis initium referunt scholia Dem. in Mid. § 173.

4) In hunc annum incidit expeditio contra Thebanos in Euboeam facta (cf. Diod. XVI, 7), cuius tempore Dem. in Mid. § 174 Midiam Parali quaestorem fuisse dicit. Schaefer vol. I p. 148, 2 Midiam per plures annos hac quaestura functum esse putat, quam sententiam ego in excursu II huic capiti addito refellere conabor.

5) cf. Dem. in Mid. § 173 et scholia.

6) de misero classis Atheniensium sub Agathocle archonte statu cf. [Dem.] in Euerg. et Mnesib. § 20.

7) Nep. v. Chabr. c. 4: »erat in classe«, inquit, »Chabrias privatus«. Trierarchum autem Chabriam fuisse inde apparet, quod gubernatori praecepit, quo navis cursum dirigat. Non ita perspicue ex Dem. adv. Lept. § 81 sqq. et Plut. v. Phoc. c. 6 apparet, quem in classe ordinem tenuerit Chabrias; at hi quoque loci eum non fuisse praetorem docent. Diodorus, qui l. XVI c. 7 eum Charetis collegam fuisse narrat, non videtur sibi fingere potuisse virum, qui saepe exercitum duxisset, hoc militis munere fungentem, cf. Rehdantz l. l. p. 207, Schaefer vol. I p. 148, Busolt p. 856. — Diodorum sequuntur Thirlwall hist. Gr. vol. V p. 232 et Grote vol. XI p. 223 sq.

8) cf. Diod. l. l., Nep. l. l., Plut. l. l., Dem. l. l. § 80 sqq.

9) Falso Nepos l. l. Samum in eis insulis numerat, quae ab Atheniensibus defecerint; cf. Diod. XVI, 21.

10) Nepos l. l. Iphicratem et Timotheum non ipsos praetores fuisse ait, sed Menestheo praetori additos, ut eum consilio iuvarent, quod falsum esse ex lite Timotheo et Iphicrati pariter ac Menestheo postea intenta apparet; cf. Grote vol. XI p. 225, Isocr. de permut. § 129, Dion. Hal. de Din. p. 667 sq.

Chii obsidione servatis, CXX fere navium classis Atheniensium fuit [3]. Qua classe fr… Byzantium aggredi et in regionibus Hellespontiacis auctoritatem suam restituere constituerunt, ut mercatoribus suis per Bosporum et Hellespontum tutum iter praeberent, quod tum eo magis necessarium erat, quod a. 356 in Graecia magna erat annonae caritas. Hoc tempore de Atheniensibus optime meritus est Leuco Bosporanorum rex, cum eis viciens semel centum milia medimnum [4] frumenti misisset, tantam copiam, ut Atheniensium aerario vendito frumento XV argenti talenta superessent [5].

Socii, qui defecerant, cum Athenienses in Hellespontum proficisci audirent, a Sami obsidione destiterunt et Byzantiis opem laturi et ipsi in Hellespontum navigare constituerunt. Non procul autem a Samo ad Embata classes congressae sunt [6]. Ac quamquam Iphicrates et Timotheus propter vehementem procellam impetum facere noluerunt, Chares suis navibus hostes aggressus proelio orto collegas sibi opem ferre iussit. Cum autem illi auxilium negarent, Chares nonnullis navibus amissis se recipere coactus est. Quam rem aegre ferens epistola ad Athenienses missa collegas proditionis accusavit et effecit, ut eis praetura abrogaretur [7]. Deinde Chares, cui iam soli imperium mandatum est, a mercennariis suis coactus, ut pecuniam sibi pararet, Artabazum satrapam, qui a rege defecerat, contra alios satrapas adiuvit et Tithrau-

3) cf. Diod. l. XVI c. 21.

4) numerum praebet Strab. l. VII p. 311, quem locum ante hunc rettulit Boeckhius de oec. civ. Ath. I p. 125.

5) cf. Dem. adv. Lept. § 33, qui hoc frumentum duobus annis ante missum esse dicit. Causa autem Leptinea acta est a. 355/4; cf. Schaeferi vol. I p. 375 sqq.

6) In rebus narrandis excepto loco pugnae ego cum Rehdantzio (l. l. p. 215 sq.), Grotio (vol. XI p. 224 sq.), P. Iona (vita Charetis Atheniensis; pars prior; Vratisl. 1870 p. 30) secutus sum Diodorum. Aliter res sibi finxit Schaefer l. l. p. 149. Hic enim coniunctas Atheniensium classes ad Samum appropinquantes effecisse putat, ut socii, qui defecerant, a Sami obsidione abstiterint. Deinde Athenienses in septentrionem versus esse, ut in Hellespontum navigarent et Byzantium oppugnarent. Ad Embata autem utramque classem congressam esse. Causam, qua ad hanc narrationem motus sit, Schaefer in nota addit his verbis: »Unmöglich durften die vereinigten Geschwader Samos und den ganzen Archipel der Streitmacht der Bundesgenossen preisgeben, um in der Ferne eine Belagerung anzufangen, deren Erfolg ungewiss war; konnten sie doch nicht einmal voraussetzen, dass die Bundesgenossen von Samos sich wegwenden würden.« Recte quidem Schaefer spem Byzantii expugnandi incertissimam fuisse ait, nam hanc urbem munitissimam fuisse Paus. IV, 31, 5 testatur. — At etsi urbs optime munita erat, tamen Byzantiorum multitudo imbellis erat (cf. locos, quos cap. IV § 17 composui), et pars copiarum Byzantinarum Samum missa erat. Atque hi ipsi Byzantiorum milites socios videntur movisse, ut, cum Athenienses in Hellespontum vela fecissent, statim ipsi eodem navigarent. Nec vero tam magna spe Byzantii capiendi Athenienses ad expeditionem Hellesponticam motos esse censeo, quam ea causa, quam protulit Ionas l. l. Ad etenim Atheniensium commercii causa nihil magis interesse poterat, quam ut Hellespontus et Bosporus in ipsorum potestate essent. — Pugnam navalem, propter quam Iphicrates proditionis accusatus est, ad Embata commissam esse Polyaenus l. III c. 9 § 29 narrat. Nepos v. Timoth. c. 3 pugnam ad Samum factam esse dicit, Diodorus l. XVI c. 21 in Hellesponto. Cuius autem scriptoris testimonium praeferendum sit, et ubi locus, quem Polyaenus Embata nominat, situs fuerit, de hac re ampliore quaestione opus est, quam excursu III huic capiti addito absolvere conabor.

7) cf. Diod. l. l., Nep. l. l.

p. 20 stem cum XX milibus militum fudit, propter quod auxilium ab Artabazo tantas pecunias accepit, ut inde totus exercitus ali posset. De qua victoria Chares superbas ad populum litteras misit, quibus eam cum Marathonia comparavit [1]. Lampsacum quoque et Sigeum urbes cepit [2] et ex praeda magnum boum numerum tributim divisum Atheniensibus ad epulas festivas misit [3]. Urbes captas sibi retinuit [4] et Sigei postea ipse plerumque vixit [5]. Has res a Charete gestas primum quidem Athenienses probaverunt, mox autem cum Ochus Persarum rex legatis missis de Charete summopere quereretur, et cum simul fama vulgaretur regem hostibus classem auxiliariam trecentarum navium pollicitum esse, Athenienses cum sociis, qui defecerant, pacem facere properaverunt, et, cum illi quoque ad pacem parati essent, celeriter pax confecta est, qua Byzantiis ceterisque, qui defecerant, sociis plena libertas concessa est archonte Elpine [6] sive Elpinico [7] (a. 355).

Excursus I.

De Chrysopoli (ad p. XX).

Exc. I. Busoltius l. l. p. 687 Chrysopolim a. 377 ab Atheniensibus secundum Aristotelis Marathoni legem Byzantiis traditam esse conicit. Obstare quidem huic coniecturae videtur pax Antalcidea, quae omnes Asiae civitates regis Persarum esse iussit. At Chrysopolis in civitatum numero haberi non potest, nam semper alii civitati subiecta erat. Sita autem erat in finibus civitatis Chalcedoniorum (cf. Xen. Hell. I, 1, 22, Ephorum ap. Steph. Byz. s. v. Χρ.). Et Chalcedon quidem urbs pace Antalcidea Persarum videtur esse facta (cf. Dem. pro Rhod. lib. § 26). Sed num cum Chalcedone Chrysopolis Persarum facta sit, dubito. Nam Chrysopolis quamvis in Asiano Bospori litore sita tamen illa aetate non videtur paruisse Chalcedoniis sed Byzantiis, nam Byzantii a. 391 Athenienses Chrysopolis dominos fecerant. Accedit, quod regis auctoritatem illa aetate in Asia minore non multum valuisse et ex multis satraparum seditionibus et ex bellis, quae Cyziceni sua auctoritate gerebant, et eo, quod Byzantii a. 357 Chalcedone potiti sunt, satis apparet. His de causis mihi veri simile videtur Chrysopolim pace Antalcidea non factam esse Persarum, sed potius in Atheniensium potestate mansisse, praesertim cum inter Athenienses et Byzantios etiam post pacem Antalcideam amicitia maneret (cf. Isocr. Plat. 28). Monet praeterea Busoltius de Chrysopoli pace Antalcidea Atheniensibus erepta nullum testimonium exstare. Hoc quidem verum est. At exstat ex huius aetatis historia testimonium de Chrysopoli sociis tradita, quod Busoltium quidem fugit, sed nescio an nonnihil valeat ad probandam eius sententiam Chrysopolim a. 377 ab Atheniensibus traditam esse Byzantiis. Stephanus enim Byzantius s. v. Χρυσόπολις ex Ephori li-

[1] cf. Diod. XVI, 22, Dem. Phil. I, 28 sq. et scholia ad § 19, Plut. v. Arati c. 16.
[2] cf. Dem. Ol. II § 28.
[3] cf. schol. Dem. Ol. III § 31.
[4] cf. Dem. Ol. II, 28, Theop. ap. Athen. XII p. 532 B.
[5] cf. Nep. v. Chabr. c. 3, Arr. Anab. I, 12, 1.
[6] cf. Diod. XVI, 22 et fragmentum foederis hoc anno inter Athenienses et Neapolitas Thracios facti, quod edidit Koehler in Hermae vol. VII.
[7] cf. Dion. Hal. de Lys. p. 480.

storiarum libro XXIII haec tradit: "Ἔφορος εἰκοστῷ τρίτῳ· [illegible] Χρυσόπολιν [illegible] συμμάχοις." Quae verba ad quam rem spectent, efficere iam conabor. Ac primum quidem ut intellegamus, quis Chrysopolim sociis tradiderit, necesse est ea, quae aliunde de huius oppidi historia constant, breviter comprehendere. Primum bello Peloponnesiaco post pugnam ad Cyzicum factam Athenienses Chrysopoli decumanos instituerunt, qui a navicularis per Bosporum navigantibus decumam exigerent. Deinde cum sub finem belli Peloponnesiaci cum ceteris Atheniensium extra Atticam possessionibus Chrysopolis eis erepta esset, bello Corinthiaco a. 391 iterum decumae Chrysopolitanae positae sunt (vide supra cap. II § 1 p. 17.). Tertium Athenienses a. 340 Chrysopolim occupasse infra (cap. IV § 21) docebimus. Inter annos igitur 391 et 340 Chrysopolis iterum Atheniensibus erepta est, et ad hanc rem mihi spectare videntur verba, quae ex Ephoro excerpsit Stephanus; nam de Chrysopoli ab Atheniensibus sociis tradita Ephorum locutum esse inde veri simile fit, quod, ubicumque hac aetate de Chrysopoli aliquid traditur, de Atheniensibus sermo est.

Cum igitur Athenienses inter annos 391 et 340 Chrysopolim sociis videantur tradidisse, iam tempus accuratius definiendum est. Ac primum quidem apparet ex Dem. adv. Lept. § 60 decumam Chrysopolitanam non ante pacem Antalcideam Atheniensibus esse ereptam. Ipsa autem pace id factum esse, quod Boeckhius de oec. civ. Ath. vol. I² p. 441 sq. censet, non ita veri simile esse supra probare conatus sum. Ephori autem de Chrysopoli fragmentum ad posterius tempus spectare inde efficitur, quod Ephorum iam in libro XX Mantineae διοικισμὸν a. 385 factum (cf. Diod. XV, 12) narrasse ex eius fragmento 138 constat. Cum autem fragmentum, de quo agimus, ex libro XXIII sumptum sit, Athenienses post a. 385 Chrysopolim sociis videntur tradidisse. Ab altera parte tempus, quo hoc factum sit, definitur Ephori fragmento 146a, ex quo apparet Ephorum in l. XXV pugnam Mantineensem, quae in a. 362 incidit, narrasse. Itaque nunc Kehdantzius l. l. p. 215 n. 33 sprevit priorem coniecturam, quam de Ephori de Chrysopoli fragmento ipse protulit, ad bellum sociale a. 357–355 gestum hoc fragmentum spectare. Mavult igitur Kehdantzius fragmentum ad expeditionem navalem referre, quam a. 364/3 Byzantium usque Epaminondas (vide cap. II § 10). At ne haec quidem coniectura mihi videtur posse probari. Primum enim cum Ephorum in l. XX de anno 385, in l. XXV de a. 362 egisse constet, veri simile non est eum res anno 364/3 gestas in l. XXIII narrasse. Deinde ex Ephori l. XXIV de Dyme Achaiae urbe ad occidentem versus extrema Steph. s. v. Δύμη hoc praebet fragmentum: "[illegible]." Iam vero Diod. XV, 75 narrat Epaminondam in tertia in Peloponnesum expeditione Dymen Achivorum praesidio liberasse a. 367. Cum autem praeceptor meus doctissimus Volquardsenius in libello, qui inscribitur "Untersuchungen über die Quellen der griechischen und sicilischen Geschichten bei Diodor B. XI–XVI" (Kiliae a. 1868) p. 51 sqq. Diodorum in rebus Graecis narrandis per libros XI–XV Ephoro auctore usum esse docuerit, veri simile est verba, quae ex Ephori l. XXIV citat Stephanus, ad annum 367 referenda esse. Quod si verum est, Ephori de Chrysopoli fragmento inter a. 385 et 367 locus adsignandus est. Horum autem annorum historiam perlustranti mihi non videtur dubium, quin Athenienses a. 377 secundum Aristotelis Marathonii legem Chrysopolim Byzantiis ad pristinum dominum reddiderint.

Excursus II.

De Midia Parali quaestore (ad p. XXXX).

A. Schaefer vol. I p. 148, 3: »Meidias nahm«, inquit, »als Schatzmeister der Paralos schon an dem euboeischen Zuge Theil. Wenn diese Bestallung mit dem Jahreswechsel endete, was ich bezweifle

Eudemonte die Expedition erat in Ol. 105, 4 ponenda esse videntur. Hac coniectura opus non est, si Diodorum secuti iam Cephisodoto archonte (ante medium annum 357) bellum sociale ortum esse statuimus. Mihi autem ea, quae de Midia Parali quaestore narrantur, Diodori temporum rationem certam esse videntur probare. Nam, ut statim sententiam meam proferam, mihi Parali quaestura non videtur distinguenda esse a Parali trierarchia; trierarchi autem munus annuum fuisse satis notum est. Hanc sententiam, quae discrepat a sententia Boeckhii, qui de Parali et omnino de triremium quaestoribus egit in »Urkunden über das Seewesen des attischen Staates« p. 168 sqq., »Staatshaush. d. Ath.« vol. I² p. 236, 706, iam probare conabor. De sacris triremibus Atheniensium scholiasta ad Dem. in Mid. § 171 p. 570 Ddf. haec adnotat: [illegible]. Scholiasta igitur videtur putasse pro sacris triremibus ipsam civitatem trierarchiae sumptus fecisse. Quam scholiastae sententiam falsam esse inde demonstravit Boeckhius, quod ex inscriptionibus navalibus apparet civitatem sacrarum triremium trierarchis interdum ne apparatum quidem navis praebuisse. Veri autem simile esse Boeckhius putat sacrarum navium trierarchis ad magnos legationum sacrarum sumptus a re publica pecunias datas esse; nam architheororum quoque, quamquam *ἀρχιθεωρία* esset λειτουργία, in legationibus sacris publice pecunia adiutum esse. Ad tales igitur sumptus extraordinarios trierarchis praebendos et quia navibus sacris ad pecunias praetoribus mittendas uterentur Athenienses et quia in pace quoque navium sacrarum militibus et remigibus stipendia numerarentur (cf. Harpocr. s. v. *Πάραλος*), his navibus quaestores esse institutos a trierarchis diversos Boeckhius putat. Nec tamen sacris tantum triremibus quaestores fuisse, sed fortasse omnibus. Parali autem aliarumque navium sacrarum quaestores nobiliores fuisse quam ceteros iam inde apparere, quod id munus *χειροτονητὸν* viris nobili gente ortis ut Midiae mandatum sit (cf. Dem. in Mid. § 171). — Mihi autem locis, quos Boeckhius attulit, inspectis haec admodum dubia videntur esse. Ac primum quidem agam de loco Harpocrationis, qui s. v. *ταμίαι* ex Aristotelis de Atheniensium republica libro et ex Eupoli haec profert: *εἰσὶ δέ τινες καὶ τῶν τριήρων ταμίαι, ὡς ὁ αὐτὸς φιλόσοφός φησιν· ἦν δὲ καὶ τοῖς τριηράρχοις τοιοῦτο τι, ὡς ἀπέδειξεν Εὔπολις ἐν Πόλεσι*. Boeckhius de oec. civ. vol. I p. 236, 706 dubium esse ait, utrum omnibus trierarchis an sacrarum tantum navium trierarchis adiuncti fuerint quaestores. De trierarchi quaestore videtur sermo esse in oratione ab Apollodoro adversus Timotheum habita § 14 sq., ubi commemoratur *Ἀντιφάνης, ὃς ἐπέπλει ταμίας Φιλίππῳ τῷ ναυκλήρῳ*; sed iure Boeckhius dubium esse ait, utrum hic Antiphanes privatus fuerit Philippi quaestor an publice institutus (p. 236). Non omnibus autem trierarchis quaestores fuisse et or. adv. Polycl. § 30 mihi probare videtur, ubi Apollodorus trierarchus se ipsum diligentissimas trierarchiae rationes scripsisse narrat, et inscriptio, quae exstat apud Boeckhium de oec. civ. vol. II p. 19, ubi Hellenotamiae ipsis trierarchis pecuniam numerasse dicuntur. Mihi igitur Eupolis de talibus trierarchorum quaestoribus privatis, qualis ille Antiphanes fuit et quales non omnibus trierarchis fuerant, videtur esse locutus. Aristoteles autem, quem eodem loco laudat Harpocratio, de his privatis trierarchorum quaestoribus non videtur egisse, cum eis in rei publicae Atheniensium institutis describendis locus non esset. Ac non sine magna veritatis specie Meier in Erschii et Gruberi encycl. sect. III vol. XI p. 362 in Aristotelis fragmento apud Harpocr. ante *τριήρων* conicit excidisse *ἱερῶν*, coll. glossa lexici Cantabrigiensis, quae et ipsa ex Aristotele videtur fluxisse. Ibi enim legitur p. 676, 2: *Πάραλος καὶ Σαλαμινία· ταύτας τὰς τριήρεις εἶχον* [illegible] (cf. Mülleri fragm. hist. Gr. vol. II p. 121). Ex his Aristotelis fragmentis nihil effici potest, quo navium sacrarum quaestores a trierarchis diversos fuisse probetur. Neque inde quidquam pro Boeckhii sententia effi-

esse licet, quod trierarchi quoque navium sacrarum apud scriptores et in inscriptionibus commemorantur (vide locos, quos contulit Boeckhius de oec. civ. vol. I p. 707, de re nav. p. 169). Parali trierarchi commemorantur ap. Isaeum de Dicaeog. her. § 6, in inscriptionibus navalibus XIII a 62, XVI b 134, XVII a 25 sqq. Nusquam enim eodem loco et trierarchi et quaestores navium sacrarum commemorantur. In solo loco Pollucis l. VIII c. 116, ubi scriptura codicum satis incerta est, una exstat lectio, ex qua Boeckhii sententia probari possit. Ibi enim haec leguntur: [illegible] deinde in nonnullis codicibus sequuntur verba [illegible] et haec Bekker edidit. Sed pro [illegible] alii codices, ut Dindorfius in adnotationibus nos docet, praebent [illegible] aut [illegible]. Atque ego quidem scripturam [illegible], secundum quam quaestores navium sacrarum a trierarchis distinguendi essent, spernendam esse censeo propter ipsius Pollucis verba antecedentia; nam [illegible] vix quisquam aliter interpretari potest nisi de ipsis trierarchis; certe tales quaestores, quales Boeckhius sibi fingit, nullo modo dici possunt [illegible], quippe quibus res publica omnia praebuerit. Mihi igitur scribendum esse videtur [illegible] scilicet [illegible]. Ut igitur hoc loco navium sacrarum trierarchi [illegible] videntur esse vocati, ita idem fit apud Photium s. v. [illegible] ubi haec leguntur: [illegible] (hoc vocabulo nullas nisi ipsas sacras triremes vocari recte monet Boeckhius vol. I p. 337) [illegible] [illegible] mihi videntur esse [illegible]. Praeterea mihi videtur monendum esse Midiae quaesturam in scholiis orationis Midianae p. 569, 20 dici [illegible]. Quod autem navium sacrarum trierarchi non ut ceteri a praetoribus nominabantur, sed a populo creabantur, id ex maiore muneris dignitate facile explicatur. Cum igitur ex locis, quos attuli, navium sacrarum quaestores eidem qui trierarchi dici videantur, haec sententia firmatur oratione Midiana, in qua Parali quaestori eadem munera, quae in aliis navibus trierarchorum sunt, tribui recte monet Schaefer vol. II p. 84. Item ex inscriptione, quam edidit Rangabé ant. Hell. vol. II p. 77, supplevit Waddington in Hermae vol. IV p. 426, Parali quaestorem praetoris litteras ad populum tulisse et de eis in contione rettulisse discimus, quod munus mihi ad eum tantum referri posse videtur, qui navis imperium habuit. At licet de hoc loco dubites, Midiam Parali navis imperium habuisse certissime inde efficere possumus, quod ille, non alius quidam trierarchus, cum hac nave Cyzicenorum naves mercatorias cepit, et quod Demosthenes illi, non trierarcho, crimini dat, quod navis sua in Euboeam venerit (cf. Dem. in Mid. § 173 sq.). Ut autem in oratione Midiana et in ea inscriptione, quam laudavi, navis sacrae quaestori munera tribui videntur, quae trierarchi sunt, ita alibi trierarchum navis sacrae quaestoris munere fungi legimus. Nam in inscriptione, quae exstat apud Boeckhium de oec. civ. vol. II p. 95, amphictyones Delaci Antimacho trierarcho navis sacrae, qua Atheniensis Delum vexerat, theoriae sumptum reddidisse dicuntur. Quae inscriptio Boeckhium coegit, ut de oec. civ. vol. I p. 705 haec diceret: »Die Schatzmeister der heiligen Trieren, welche unabhängig von den Kosten der Trierarchie alle Gelder verwalten, waren natürlich besonders verantwortlich, wenn sie auch nicht immer gerade als die Rechnung legenden erscheinen.« — Mihi haec difficultas optime tolli videtur, si Parali ceterarumque navium sacrarum quaestores et trierarchos eosdem fuisse statuimus. Quod si recte statuimus, Parali quaestorem haud dubie ut omnes trierarchos annuum fuisse. Si vero annuus fuit, veri simile est eum incepisse a primo Hecatombaeonis die; nam etsi de ceterarum trierarchiarum initio dubitari potest (cf. Boeckhium de re nav. p. 171 sqq.), tamen Parali, quippe quae in parte quoque semper parata esse deberet ad itinera facienda (cf. Harpocr. s. v.), trierarchum semper anni initio munus incepisse veri simile est. Iam vero si scholiasta iure, quae in oratione Midiana

Exc. II de Midiae Parali quaestoris in mercatores Cyzicenos iniuriis narrantur, ad bellum sociale rettulit (de qua re Schaefer vol. I p. 148 non dubitat), cum Midiam Cephisodoto archonte Parali quaestorem fuisse ex mentione, quae expeditionis in Euboeam factae apud Dem. in Mid. § 174 fit, constet, recte Diodorus tradere videtur archonte Cephisodoto ortum esse bellum sociale.

Excursus III.

De Embatorum situ (ad p. XXXXI)

Exc. III Pugnam navalem, propter quam Iphicrates accusatus esset, ad Embata commissam esse Polyaenus III, 9, 29 tradidit. Hunc locum Erythraeorum portum esse contra Chium insulam situm, qui a Thuc. III, 29 et a Theopompo apud Steph. Byz. Ἔμβατον diceretur, iam Rehdantzius v. Iph. p. 213 sq. coniecit, eamque coniecturam probaverunt Grotius hist. Gr. vol. XI p. 225, Schaefer de Demosth. vol. I p. 149. Accedit ad hanc coniecturam probandam, quod Embata, si prope Erythras sita erant, non multum distabant a Samo, prope quam insulam hanc pugnam commissam esse Nepos v. Timoth. c. 3. narrat. — Diodorus autem in Hellesponto pugnam factam esse tradit et hanc narrationem Polyaeni testimonio praetulit Grotius l. l. Embata vero non prope Erythras, sed ad Hellespontum sita esse probare studuit Ionas in vita Charetis p. 30 n. 2 inscriptione nisus, quam edidit Sauppius in »Nachrichten von der kgl. Gesellschaft der Wissensch. und der Universität zu Gottingen« a. 1867 p. 151 sq. In hac enim inscriptione, quae Callistrato archonte (a. 355/4) facta est (cf. Sauppe p. 155) Philisco Lyci filio Sestio ab Atheniensibus προξενία et εὐεργεσία decernitur, »ἐπειδὴ Φίλισκος ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένε[το περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθην[αί]ω[ν] μηνύσας τ .... νοι«. Apparet igitur Philiscum Atheniensibus magni momenti nuntium attulisse. Hoc Sauppius p. 156 ad bellum sociale rettulit et lacunam, quae inter μηνύσας τ— — —οι exstat, ita explendam esse suspicatus est: μηνύσας τὸν τῶν Βυζαντίων στόλον. Quae coniectura quamquam admodum speciosa est (nam XVIII litterae desiderantur) et ei, quam protulit Ionas, cum hac non suppleantur XVIII litterae, longe praeferenda, tamen incertissima est; nam aliis quoque modis XVIII litterae suppleri possunt. — Deinde Ionas incerta Sauppii aut potius vitiosa sua coniectura (coniecit autem μηνύσας τὸν συμμάχων στόλον) nisus Embata in Hellesponto sita fuisse probare studet his verbis: »Nihil igitur impedit, quominus putemus Philiscum in bello sociali de Atheniensibus se meruisse (dicendum fuit »bene meritum esse«; sermone enim Ionas per totam dissertationem utitur admodum barbaro). Res ita se habuisse videtur: Chares, Iphicrates, Timotheus, Menestheus duces Athenienses in Hellespontum navigaverant et ad Embata naves appulerant. Socios inimicos Samum relinquentes persecutos esse supra exposui. Philiscus cum naves sociorum eum intrasse in Hellespontum vidisset, nuntiavit id ducibus Atheniensibus, ne socii in classem Atheniensem repentinum impetum facerent. Embata igitur in Hellesponto propius Propontidem sita fuisse videntur quam Sestus, neque est pugnatum apud illum locum, de quo Thucydides et Stephanus Byzantius loquuntur. Accedit, ut Polyaenus Ἔμβατα scripserit.« (dicendum fuit »quod — scripsit«). His argumentis mihi nihil videtur probari. Nam quamquam Philiscus Sestius fuit, tamen eum Sesto Atheniensibus nuntium attulisse non modo non est necesse, sed ne veri simile quidem. Primum enim ille Philiscus videtur fuisse mercator; nam inde, quod et in Hellesponto portus custodum et magistratuum Atheniensium et Athenis senatus et praetorum curae mandatur, efficere licet Philiscum modo Athenis modo in Hellesponto fuisse. Certe Athenis fuit, cum hoc decretum fieret. Id enim inscriptionis verba, quae leguntur l. 20 sqq., docent: ἐπαινέσαι δὲ

[illegible] Quoniam Philiscus mercator fuit, omnino eum non possumus statuere, quo loco nuntio allato de Atheniensibus bene meritus sit. Velut anno 376 ante pugnam navalem ad Naxum commissam Phanocritus quidam Parii oppidi ad Propontidem siti civis Atheniensibus, qui cum classe prope Naxum erant, nuntiavit naves frumentarias ex Ponto venientes in periculo esse, ne ab hostibus caperentur, quo nuntio motus Chabrias pugnam commisit et Lacedaemoniis victis naves frumentarias servavit (cf. corp. inscr. Gr. n. 84). — Sestio autem Philiscum Atheniensibus nuntium illum attulisse propterea mihi improbabile videtur, quod Sestum bello sociali Atheniensibus inimicam fuisse scimus (vide cap. II § 19), et Philiscus, si tum Sestio nuntium ad Athenienses pertulisset, haud dubie a civibus suis proditor existimatus esset. Praeterea, si Philisci nuntium ad proelium ad Embata commissum referimus, Athenienses eius nuntio non, ut Phanocrito Pariani, multum lucrati sunt, nam proelium eis non prospere cessit. Propter has causas mihi dubium videtur, num inscriptio, qua Ionae coniectura nititur, ad proelium ad Embata commissum referenda sit, sed licet eo referenda sit, propterea non est statuendum Embata in Hellesponto sita fuisse. Haec Curtii quoque videtur esse sententia, qui, quamquam Hist. Gr. vol. III³ p. 792 n. 32 hanc inscriptionem ad proelium ad Embata commissum spectare putat, tamen proelium in freto Chiaco factum esse dicit (l. l. p. 469). Statuendum igitur mihi videtur Polyaeni [illegible] eundem locum esse, quem Thucydides et Theopompus vocent [illegible].

Caput III.

De rebus ab Atheniensibus in Thracia a belli socialis exitu (a. 355) usque ad pacem Philocrateam (a. 346) gestis.

§ 1. Cum Atheniensium principatus maritimus, quem inde a Nausinico archonte iterum nacti erant, bello sociali summopere labefactaretur, eorum in Thracia et in Chersoneso auctoritatem non esse auctam et per se veri simillimum est et Isocrates [1]) diserte dicit Athenienses per totum bellum sociale metuisse, ne Cersobleptes sibi Chersonesum, qua paulo ante belli initium a Charete coactus cesserat, iterum eriperet. Neque Amadocus et Berisades a Charidemi insidiis tuti erant; nam dum Atheniensium classis in Hellesponto erat, Cersobleptes et Charidemus pacem agebant; ubi vero abierunt Athenienses, statim denuo Amadoco et Berisadi bellum intulerunt [2]). III, 1.

§ 2. Cum igitur inter Thraciae reges perpetuae essent discordiae, mox Philippus Macedonum rex terrae finitimae rebus se immiscuit. Cuius rei occasio ei primum data est, cum Pammenes Thebanus cum exercitu per Macedoniam et Thraciam proficisci vellet, ut Artabazo contra satrapas regios auxilium ferret. Cum enim Charetem, quem Artabazo auxilium tulisse supra narravimus, regis Persarum querelis moti revocassent Athenienses [3]), Artabazus a Thebanis auxilium petivit [4]). Quod fac- § 2.

[1]) de pace § 22.
[2]) cf. Dem. in Aristocr. § 179.
[3]) vide supra c. II § 20 p. 42.
[4]) cf. Diod. XVI, 34.

III,2 tum esse videtur anno 353 [1]. Nam Diotimo archonte (a. 354/3) Charetem iam Athenis fuisse et collegas suos apud iudices accusasse constat [2], cum autem Demosthenes a. 354 orationem de symmoriis haberet, inter Thebanos et regem nondum fuit bellum [3]; res vero a Pammene in Asia gestas Diodorus [4] Thudemi archontis anno (353/2) adscribit. Thebani foedus cum Artabazo inierunt et Pammenem cum V milibus militum in Asiam miserunt [5]. Qui cum per Thessaliam, Macedoniam, Thraciam iter in Asiam faceret, Philippus, qui antea Thebis obses in Pammenis domo fuerat et cum eo amicitiam inierat [6], eum comitatus est, ut ipse sibi in Thracia auctoritatem pararet. In ora Thraciae Philippus Abdera urbe cum Atheniensibus foedere iuncta [7] potitus est itemque Maronea, quae sub finem anni 361 ab Atheniensibus videtur defecisse [8]. Maroneae autem cum Philippus et Pammenes essent, Charidemus ad eos misit Apollonidem Cardianum hominem Atheniensium inimicissimum [9] de foedere acturum, nec multum afuit, quin Atheniensibus cum Cersoblepte simul et Cardianis bellum oreretur. Amadocus autem, cum Philippum Atheniensium hostem per terram suam proficisci vetaret, hoc bellum prohibuit [10]. Maronea Pammenes navibus in Asiam videtur esse transvectus, Philippus autem, cum Amadoco bellum inferre nollet, classem suam domum reducere statuit. Cum autem Chares cum XX Atheniensium triremibus ad Neapolim esset, Philippus ex navibus suis quattuor elegit, quae celerrime vehebantur, easque optimis remigibus impositis ante ceteras naves prope oram Neapolim praetervehi iussit. Chares vero, ubi primum quattuor illas naves conspicatus est, omnibus XX eas persecutus est, illae autem quam celerrime in altum mare fugerunt. Ac dum Chares eas persequitur, Philippus cum ceteris navibus tuto Neapolim praetervectus est, Chares autem ne illas quidem quattuor cepit [11].

Minus prospere res cessit Philippi copiis terrestribus. Adaeus enim Philippi mercennariorum dux, qui cognomine »gallus« (ἀλεκτρυών) dicebatur, cum nimis longe vagabundus processisset, ad Cypsela [12] ad Hebrum fluvium CXX stadia ab eius ostio [13]

---

[1]) cf. Boehnecke, Forschungen I p. 243, 4. Schaefer de Dem. I p. 400, 5.
[2]) cf. Dion. Hal. de Din. p. 667 sq.
[3]) cf. Dem. de symm. § 33 sq.
[4]) l. l.
[5]) cf. Diod. XVI, 34. Polyaen. VII, 13, 2.
[6]) cf. Plut. v. Pelop. c. 26, Suid. s. v. Κάρανος.
[7]) vide supra c. II § 4.
[8]) vide ibid. § 15.
[9]) de quo cf. Heges. de Halonn. § 39.
[10]) cf. Dem. in Aristocr. § 183.
[11]) cf. Polyaen. IV, 2, 22.
[12]) Scite huc rettulit Boehnecke, Forsch. p. 707 fragmentum Demoxeni comici, quod exstat apud Athen. XI p. 469 A: [illegible]
[13]) cf. Strab. l. VII fr. 48, 57.

a Charete victus et ipse in proelio interfectus est [1]. Quam victoriam Chares, cum ille eodem tempore ex thesauris Delphicis LX talenta accepisset, Athenis splendida cena publica celebravit [2].

§ 3. Deinde Chares archonte Thudemo (a. 353/2) in Hellespontum vectus Sestum urbem, quae etiam post bellum sociale diu Atheniensibus feliciter restiterat, expugnavit et severissime punivit. Omnibus enim, qui arma ferre poterant, occisis ceteros incolas sub corona vendidit, agrum autem urbis et fortasse alias quoque Chersonesi partes Athenienses colonis Atticis adsignaverunt [3]. Neque tamen, ut Diodorus [4] tradit, omnes Chersonesi urbes praeter Cardiam colonis Atticis adsignatae sunt; nam Elaeusii certe et Madytii et Alopeconnesii et Agoraei liberi Atheniensium socii manserunt [5]. Rebus Chersonesi compositis Chares cum classe Athenas reversus est archonte etiam tum Thudemo (ante medium annum 352) eodem tempore, quo Onomarchus Phocensis in Thessalia a Philippo devictus est; nam nonnulli Phocenses ex pugna fugientes nando ad Charetis classem, quae tum litus Thessalicum praetervehebatur, pervenerunt [6].

§ 4. Interim Cersobleptes et Charidemus, quamquam inde a foedere a. 357 cum Charete icto palam cum Atheniensibus pacem agebant et amicitiam ita prae se ferebant, ut Athenienses utrumque civitate donarent et summis honoribus afficerent [7], tamen nihil magis agebant, quam ut Chersonesum iterum Atheniensibus eriperent. Cuius rei causa Apollonidem Cardianum a Charidemo ad Philippum et Pammenem

---

1) cf. Athen. XII p. 532 C, Zenob. VI, 34, Eustath. ad Odyss. p. 1479, 37.

2) cf. Theop. apud Athen. p. 532 D. Boehnecke l. l. p. 164, 246 totam rem ad bellum Olynthiacum rettulit, quod propterea fieri nequit, quod tum thesauri Delphici iam exhausti erant; cf. Dem. Ol. III § 8. Quam ob rem ad primam Philippi expeditionem Thracicam Adaei cladem referendam esse intellexerunt Thirlwall hist. Gr. vol. V p. 343, 1, Schaefer de Dem. vol. I p. 401 sq.

3) cf. Diod. l. XVI c. 34. Addit Diodorus Cersobleptem Philippi metu coactum, ut Athenienses sibi conciliaret, omnes Chersonesi urbes praeter Cardiam eis tradidisse; hoc autem a. 357 post felicem in Euboeam expeditionem factum esse Dem. in Aristocr. § 173, 181 docet (cf. § 178 et supra c. II § 19); nam de novo foedere post illud tempus inter Cersobleptem et Athenienses facto nihil scimus; cf. Schaeferi vol. I p. 402, 2. — Grote vol. XI p. 258 Cersobleptem tum re vera aliquam Chersonesi partem Atheniensibus tradidisse putat per bellum sociale occupatam; quod si statuimus, mirum est, quod in oratione Aristocratea nusquam dicitur foedus a. 357 factum a Cersoblepte aperte esse violatum.

4) l. l.

5) De Chersonesi civitatum diversis condicionibus excursu huic capiti addito amplius disseram.

6) cf. Diod. l. XVI c. 35.

7) de Cersoblepte cf. Philippi epist. § 8 sqq., Dem. in Aristocr. § 141; de Charidemo praeter multos orationis Aristocrateae locos Arist. Rhet. II, 23 p. 1399 b, Theop. ap. Athen. X p. 436 b. Quando Charidemo data sit civitas, dubitari potest. Weber ad or. Aristocr. p. LXV, 3, Schaefer de Dem. vol. I p. 380, 5 ex Dem. l. l. § 151 concluserunt iam, cum Timotheus cum Olynthiis bellum gereret, Charidemo datam esse civitatem; sed ex § 141 apparet Cersoblepti gratia Charidemo datam esse civitatem, quod ante a. 357 fieri non potuit; ceteri honores, de quibus Dem. § 145 loquitur, postea demum ei videntur esse decreti.

Illa, missum esse supra diximus. Cum autem Philippi foedus Amadoci intercessione impeditum esset [1], Charidemus iam aliam viam ingressus est. Nam cum intellegeret Cersobleptem, si ceteris regibus victis solus in Thracia regnaret, facile Athenienses Chersoneso expulsurum esse, antequam Atheniensibus bellum inferret, ceteros Thraciae reges regno privare conatus est [2]. Nam cum anno 353/2 [3] Berisades mortuus esset, Cersobleptes et Charidemus eius liberis et Amadoco bellum intulerunt. Pro Berisadis liberis bellum gessit Athenodorus, qui Berisadis sororem in matrimonio habuit, pro Amadoco Simo et Bianor huic affinitate iuncti [4], qui plebiscito civitate Attica donati erant [5]. Archebius quoque Byzantius contra Cersobleptem videtur pugnasse [6]. Ut autem ab Atheniensibus tutus esset, Charidemus simul cum belli initio Aristomachum Critodemi filium [7] Alopecensem Athenas misit, qui multa apud populum contionatus Cersebleptis erga Athenienses amicitiam et benevolentiam praedicavit [8]. Numquam Cersobleptem consilium capturum esse Chersonesi Atheniensibus eripiendae. Ex tota enim paeninsula in pace non plus XXX talenta redire, in bello nihil. Praeterea si Atheniensibus bellum inferret, illos Thraciae portus obsidione esse clausuros atque ita Cersoblepti plus trecentorum talentum damnum facturos. Tale autem damnum Cersobleptem parvi et incerti lucri causa non esse subiturum [9]. Cum igitur nulla causa cogitari posset, cur Cersobleptes et Charidemus Atheniensibus adversarentur, immo cum illis optima quaeque vellent, Aristomachus Atheniensibus suasit, ut Charidemum praetorem facerent; neminem enim nisi illum Amphipolim Atheniensibus recuperare posse [10]. Iam antequam Aristomachus Athenas venit, Aristocrates quidam a Charidemi factione motus [11] senatus consultum effecerat [12], ut, qui Charidemum interficeret, eum in tota Atheniensium sociorumque terra comprehendere liceret, et, si quae urbs sive quis privatus homicidam tueretur, foedere excluderetur [13]. Hoc senatus consultum a populo Aristomachi orationibus decepto facile sanctum iri Aristocrates putabat [14]. At antequam populus senatus consulto legis vim daret [15],

[1]) vide supra § 2.
[2]) cf. Dem. in Aristocr. § 8 sqq.
[3]) Ea enim, quae iam narranda sunt, anno ante litem Aristocrateam gesta esse infra docebitur, hanc autem Aristodemo archonte (a. 352/1) actam esse Dion. Hal. ad Amm. I 4 p. 725 testatur.
[4]) cf. Dem. l. l. § 9.
[5]) cf. ibid. § 12.
[6]) cf. ibid. § 189.
[7]) cf. Dem. in Theocr. § 35, in Neaer. § 25.
[8]) cf. Dem. in Aristocr. § 13.
[9]) cf. Dem. l. l. § 110.
[10]) cf. Dem. l. l. § 14; de Amphipoli vide supra cap. II § 9, 20.
[11]) cf. Dem. § 5, 164 sqq.
[12]) cf. ibid. § 14.
[13]) cf. ibid. § 16, 81, 85, 92 sq., 180.
[14]) cf. ibid. § 14.
[15]) cf. ibid. § 18, 92, 180, 186.

Euthycles [1]) Thriasius [2]), a quo antea Cephisodotum praetorem accusatum esse supra memoravimus [3]), Aristocratem παρανόμων accusavit. Ita prohibitum erat ne populi suffragiis senatus consultum legis vim nancisceretur. Cum autem causa ad iudices rediret, iam ne ullam quidem vim habuit, cum interim senatus, qui decreverat, magistratu abisset, senatus autem consulta ultra anni finem non valerent. Tamen Euthycles, ne quis in posterum legem rei publicae tam periculosam rogaret, causam persecutus est [4]). Actam in iudicio causam esse Dionysius Halicarnassensis [5]) tradit archonte Aristodemo (a. 352/1), et in huius anni initium (aestatem a. 352) causam incidere rebus, quae in oratione Aristocratea commemorantur, diligenter examinatis probavit Schaefer [6]). Euthycli orationem composuit Demosthenes, qui olim cum Euthycle Cephisodotum praetorem trierarchus in Hellespontum secutus post reditum reum fecerat [7]). In hac oratione, quae adhuc superstes est, Demosthenes Aristocratis senatus consultum primum illegitimum [8]), deinde Atheniensium rei publicae summo damno esse [9]) demonstrat, denique Charidemum propter res contra Athenienses gestas indignissimum esse docet, quem Athenienses lege quodammodo sacrosanctum faciant [10]). Utrum iudices Aristocratis rogationem illegitimam esse iudicaverint eumque multa affecerint an eum criminis absolverint, nescimus; quocumque autem modo iudicaverunt, senatus consultum accusatione, cum interim senatus magistratu se abdicasset, irritum factum erat. At Charidemum non perdidisse populi gratiam inde constat, quod iam a. 351 praetor Atheniensium factus est [11]).

§ 5. Interea in Thracia reges inter se bellum gerebant. Amadoco contra Cersobleptem socii adiuncti sunt Byzantii et Perinthii, qui cum Cersoblepte de parte terrae ambigebant [12]). Praeterea Iustinus [13]) fratres duos reges Thraciae de regno disceptantes Philippum Macedonem orasse tradit, ut litem suam diiudicaret. Cui testimonio si quae fides habenda est, vix de aliis fratribus cogitari potest nisi de Berisadis filiis [14]). Philippus autem ex Thessalia reversus anno 352 [15]), cum Amadocus

---

1) de nomine cf. Dion. ad Amm. I, 4 p. 725, Lib. arg. or. Aristocr., schol. Aesch. in Ctes. 52, schol. Dem. in Aristocr. p. 700, 3. 716, 26 Ddf.
2) cf. arg. II or. Aristocr.
3) cap. II § 17.
4) cf. Dem. l. l. § 92 sqq.
5) ad Amm. p. 725.
6) vol. I p. 397 sqq.
7) vide supra c. II § 17.
8) § 19—99.
9) § 100—143.
10) § 144—183.
11) cf. Dem. Ol. III § 5; vide infra.
12) cf. schol. Aesch. de f. leg. § 86.
13) VIII, 3, 14.
14) cf. Schaefer vol. I p. 404, 1.
15) cf. Diod. XVI, 38.

III,3 quoque [1]) et Perinthii Byzantiique [2]) eius auxilium peterent. Cersoblepti bello illato usque ad Propontidem processit, ubi Heraeum castellum prope Perinthum situm [3]) obsidione cinxit. Quod cum mense Maemacterione (Novembri a. 352) Atheniensibus nuntiatum esset, illi, quippe quorum in Chersoneso possessionibus Philippi impetus imminere videretur [4]), turbulenta contione habita LX talentum tributum ex censu solvere, omnes usque ad quadragesimum quintum aetatis annum viros ad arma vocare, classem XXXX triremium armare decrevere [5]). Mox autem cum nuntius veniret Philippum aut graviter aegrotare aut iam mortuum esse [6]), Athenienses expeditionem Thracicam neglexerunt, et proximo demum anno ultimis mensis Boedromionis diebus (a. 351 initio mensis Octobris [7]) Charidemus praetor cum X navibus et V talentis in Thraciam missus est [8]). Sed iam Philippus restituta valetudine Cersobleptem coëgerat, ut Perinthiis et Byzantiis terram ambiguam concederet et sibi filium obsidem daret [9]). Quem Cersobleptis filium Aeschines a. 346, antequam Philippus iterum contra Cersobleptem profectus est, apud Philippum obsidem vidit [10]). Omnino Philippus res Thraciae ad suum arbitrium composuit et, quos ipse voluit, reges instituit [11]). Duos fratres, quos supra monuimus litem suam de regno Thraciae ad Philippum detulisse diiudicandam, ambos regno pepulisse dicitur [12]). Ita Thraciae rebus compositis cum socios in illa terra sibi reliquisset [13]) Amadocum, Byzantios [14]), Perinthios, Cardianos [15]), anno 350/49 Olynthum urbem adgressus est [16]).

---

[3]) cf. Theop. ap. Harpocr. s. v.

[2]) cf. schol. Aesch. l. l.

[3]) Ἡραῖον τεῖχος quod dicit Dem. Ol. III § 4 plurimi viri docti idem oppidum esse putant, quod Herod. IV, 90 nominet Ἡραῖον et prope Perinthum situm esse dicat. Grote vero vol. XI p. 307. 1 dubitat, num utrumque nomen idem oppidum significet. Philippi enim potentiam tum nondum tantam fuisse, ut Perinthum urbem opulentissimam ad pugnam provocaret eive minaretur. Heraeum castellum sibi propius Chersonesum situm fuisse videri, cum Philippus Atheniensium in Chersoneso possessionibus minatus sit. — At has Atheniensium possessiones ab Heraeo castello rediens invadere potuit. Perinthiis autem Philippus tum minime videtur esse minatus, sed potius eis Heraeum, quod Cersobleptes tenuit, expugnaturus fuisse; nam de parte terrae Perinthii cum Cersoblepte bellum gesserunt (cf. schol. Aesch. II, 86). Iam vero ex Stephani Byz. glossa Ἡραῖον collata ea, quae idem s. v. Ἀγάθη dicit, apparet Ἡραῖον et Ἡραῖον τεῖχος diverso accentu notata eiusdem oppidi nomina esse. Item quamvis non diverso accentu Σέρρειον et Σέρρειον τεῖχος idem oppidum dicitur; cf. Steph. s. v.

[4]) cf. Dem. in Phil. I, 17, 41.

[5]) cf. Dem. Ol. III, 4.

[6]) cf. Dem. Ol. I, 13, III, 5, Phil. I, 11.

[7]) post magna mysteria, quae celebrabantur a XVI eius mensis die per XII deinceps dies; cf. C. F. Hermanni ant. Gr. vol. II § 56, 6 sqq.

[8]) cf. Dem. Ol. III 5.

[9]) cf. schol. Aesch. l. l.

[10]) cf. Aesch. de f. leg. § 81.

[11]) cf. Dem. Ol. I § 13, Isocr. Phil. § 21.

[12]) cf. Iust. l. VIII c. 3 § 16.

[13]) cf. schol. Aesch. l. l. [illegible]

[14]) cf. Dem. in Phil. III § 34, de cor. § 87.

[15]) cf. Dem. de f. leg. § 174. [16]) cf. Dem. Ol. I, 13. Dion. Hal. ad Amm. I p. 734

§ 6. Haec res Athenienses mox coegit, ut ex Chersoneso copias suas avo- III/6
carent. Nam cum Olynthii ab eis auxilium peterent, Athenienses primum quidem Charetem cum XXX navibus Olynthum miserunt. Cui cum res minus prospere cessisset et Chalcidenses (Olynthii eorumque socii) iterum legatos mitterent auxilium petituros, Athenienses Charidemum, qui inde ab Octobri mense a. 351 in Hellesponto Atheniensium copiis et classi praefuerat [1], Olynthiis opem ferre iusserunt. Qui cum XVIII triremibus, IIII milibus peltastarum, CL equitibus Olynthiis auxilio profectus [2]) Chersonesum Atheniensium praesidio vacuam reliquit. Atque cum Charidemus non videatur redisse in Hellespontum, mirari non possumus, quod periculum, quod Atheniensium in Thracia possessionibus Chersoneso, Lemno, Imbro, Scyro a Philippo iam antea imminuerat [3], proximis annis inprimis post Olynthum a. 348/7 a Philippo captam [4]) in dies crescebat [5]).

§ 7. Imprimis Chersoneso hoc periculum imminebat, cum mox, quamquam § 7
Cersobleptis filius obses apud Philippum erat [6]), inimicitiae inter utrumque regem renovarentur. Hoc iam a. 347 factum esse iure Schaefer statuere mihi videtur [7]). Nam cum Athenienses iam ineunte a. 346, ubi primum pacem sperare coeperunt, omnem belli apparatum neglexerint [8], Charetem, qui eo tempore, quo pax facta est, in Thracia fuit, iam ante illud tempus eo missum esse apparet. Chares autem nonnullis Cersobleptis oppidis praesidia imposuerat [9]), quod eum, cum iam inter Athenienses et Philippum de pace agi coeptum esset, fecisse veri simile non est. Quae cum ita sint, bellum inter Philippum et Cersobleptem iam a. 347 videtur esse renovatum. Cum autem Philippum ipsum anno demum 346 mense Martio ad hoc bellum profectum esse constet [10], scite Schaefer coniecit usque ad id tempus Antipatrum, qui, cum Philippus bellum ipse susciperet, legatus Athenas ivit, bellum contra Cersobleptem gessisse. Quae coniectura maxime nititur Theopompi Philippicorum libri XXVI fragmento, quod exstat apud Stephanum Byzantium: "Ἄπρος· Ἑλληνὶς πόλις Θρᾴκης. Θεόπομπος εἰκοστῷ ἕκτῳ· αὐτοῦ δ' Ἀντιπάτρου διατρίβοντος περὶ τὴν Ἄπρον." Ad idem bellum spectare videtur fragmentum ex Theopompi libro XXVII sumptum, quod exstat apud Harpocrationem s. v. Δρῦς.

1) vide supra § 5.
2) cf. Philoch. ap. Dion. Hal. l. l.
3) cf. Dem. in Phil. I § 34. Apollod. in Neaer. 3. Prior locus ad annum 352 (cf. Schaeferi vol. II p. 20), alter ad a. 350 (cf. Schaeferum l. l. p. 73 sqq.) referendus est.
4) cf. Philoch. l. l. p. 736.
5) cf. Aesch. de f. leg. § 71.
6) cf. Aesch. l. l. § 81.
7) vol. II p. 166.
8) cf. Dem. de cor. § 26.
9) cf. Dem. in Phil. III, 15.
10) cf. Aesch. l. l. § 82.

III.2. § 8. Atheniensium in Thracia possessionibus hoc bellum haud dubie periculosum fuit. Quam ob rem satis veri simile est Demosthenem, qui archonte Themistocle (a. 347/6) senator fuit [1], oratione habita ad tuendos insularum incolas et urbes ad Hellespontum sitas hortatum esse. Hoc enim Dionysius Halicarnassensis apud Philochorum videtur legisse [2], quamquam iniuria hanc orationem putavit esse eam, quae vulgo dicatur Philippicae primae pars posterior inde a § 30 [3]. Hanc potius re vera esse orationis Philippicae primae partem docuit A. Schaefer [4]. Perdita autem illa Demosthenis oratione, quam noverat Philochorus, Schaefer [5] effectum esse putat, ut Chares cum copiis in Thraciam mitteretur [6]. Sed quamquam Antipater in Thracia, Philippus ipse contra Atheniensium insulas Lemnum, Imbrum, Scyrum bellum gessit, Chares bello cum Philippo gerendo neglecto alibi sibi mercennariisque suis lucrum quaesivit. Itaque factum est, ut Philippi metu coacti coloni Atheniensium Chersonesum relinquerent. Quo facto Athenis extra ordinem multae contiones turbulentae habitae sunt, et cum Chares per longum temporis spatium nullum nuntium Athenas misisset neque Athenienses scirent, ubi Chares esset, Cephisophon Paeaniensis unus ex Charetis familiaribus rogationem facere coactus est, ut Antiochus, qui navibus onerariis praefectus erat, quam primum in Thraciam proficisceretur ducem Atheniensium copiis praefectum quaesiturus et, sicubi invenisset, ei diceret mirari populum Atheniensium, quod, dum Philippus contra Chersonesum Atheniensium provinciam proficisceretur, Athenienses nescirent, ubi dux et copiae ad bellum gerendum a se missae versarentur [7]. — Chares, postquam ab Antiocho officii admonitus

[1] cf. Aesch. in Ctes. § 62, de f. leg. 17.

[2] cf. Schaeferi de Dem. vol. II p. 64. 166.

[3] cf. Dion. Hal. ad Amm. I p. 736 et ea, quae ex perdito Dionysi *περὶ τῆς πραγματικῆς δεινότητος, [illegible]* libro scholiastae ad Dem. Phil. I. 30 proferunt.

[4] vol. II p. 62 sqq.

[5] l. l. p. 166 sq.

[6] cf. Aesch. de f. leg. § 90 sqq.

[7] cf. Aesch. de f. leg. § 72 sq. Haec non multo ante pacem Philocrateam facta esse recte mihi videntur statuere Wachsmuthius (hell. Alterthumsk.) vol. II p. 344, Boehneckius Forsch. p. 385, Schultzius de Chers. p. 108. Aeschines enim l. l., postquam Cephisophontis plebiscitum a scriba recitari iussit, his verbis pergit: *οἱ μὲν καιροὶ τῆς πόλεως τοιοῦτοι ἦσαν, ἐν οἷς οἱ περὶ τῆς εἰρήνης ἐγίγνοντο λόγοι.* Voemelius quidem proleg. in Dem. or. Phil. p. 71 et Schaefer vol. I p. 401 haec ad eam expeditionem referunt, quam a. 353/2 Pammenem comitatus Philippus in Thraciam fecit (vide supra § 2). Aeschinem enim non proximum tantum tempus respicere, sed totius rationis, qua in bello gerendo Chares usus sit, imaginem adumbrare velle dicunt. Ad Themistoclis autem archontis annum haec propterea non posse referri, quod Chares tum locum custodiae suae mandatum non reliquerit. Sed etsi Charetis copias, cum Athenis pax fieret et Philippus ipse contra Cersobleptem bellum gereret, in oppidis Thracicis fuisse scimus, et quamquam has copias, antequam inter Philippum et Athenienses de pace agi inciperetur, oppidis impositas esse veri simile est, tamen cogitari potest Charetem auctumno a. 347, ubi primum in Thraciam venisset, bello Macedonico neglecto alibi sibi lucrum quaesivisse. Praeterea Voemelii et Schaeferi sententia propter eam causam improbanda est, quod Aeschines testari videtur Chersoneso a colonis Atticis relicta Antiochum missum esse Charetem quaesiturum, colonos autem Atticos Aristodemo archonte (a. 352/1), cum causa Aristocratea ageretur, in Chersoneso fuisse Dem. in Arist. § 103 docet (*τοὺς κληρού-*

est, cum Cersobiepte amicitiam iniit, quamquam foedus inter regem et Athenienses III,4 non videtur esse factum [1]). Cersobleptem igitur a Philippo defensurus nonnullis Thraciae castellis Serrhio, Ergiscae, Sacro Monti mercennariorum suorum praesidia imposuit [2]).

§ 9. Bello, quod cum Philippo iam undecimum annum gerebatur, aliisque bellis, § 9 quae simul Atheniensibus gerenda fuerant, imprimis bello sociali Atheniensium opes plane exhaustae erant. Plus enim mille et quingentis talentis in belli usum collatis [3]) et CL triremibus a Charete imperatore consumptis [4]) Athenienses non modo nihil lucrati erant, sed ex LXXV civitatibus [5]), quas Timotheus, Iphicrates, Chabrias, Callistratus Atheniensium societati inde a Nausinico archonte conciliaverant, aliae eaeque opulentissimae ab Atheniensium societate defecerant, aliae a Philippo captae erant [6]). Quod ad regiones Thracicas attinet, Lemnus quidem, Imbrus, Scyrus, Chersonesus etiam tum Atheniensibus parebant, sed annis 352, 350, 347 Philippus has possessiones vehementer infestaverat [7]). Ex sociis autem, qui Atheniensibus olim in his regionibus fuerant, nulli in eorum fide remanserant nisi Tenedii [8]), Thasii [9]), Samothraces [10]), Aenii [11]), Elaeusii, Madytii, Alopeconnesii, Agoraei [12]), Proconnesii [13]). Praeterea Cersobleptes Atheniensium amicus erat. — Contra Amadocus rex, qui olim Atheniensibus faverat, iam pridem in Philippi partes transierat, item Byzantii, quibus Selymbria et Chalcedon parebant [14]), Perinthii, Cardiani, et Philippi auctoritas usque ad

---

(ἐγγὺς εἶναι τῶν τειχῶν). Inde apparet ea, quae de Cephisophontis plebiscito Aeschines narrat, ad expeditionem, quam a. 353 Philippus in Thraciam fecit, referri non posse. De altera autem expeditione, quam annis 352 et 351 Philippus contra Cersobleptem fecit (vide supra § 8), propterea cogitari non posse, quod tum Chares in Thracia non fuerit, recte ipse Schaefer monet. Nihil igitur relinquitur, nisi ut Cephisophontis plebiscitum anno 347 tribuamus.

[1]) Quamquam Dem. de cor. § 27 et Aesch. in Ctes. § 61 Cersobleptem et Thraces Atheniensium socios et amicos vocant, tamen ex eis, quae Aesch. de f. leg. § 81 sqq. narrat, et ex eo, quod Demosthenes in oratione de f. leg. eo quidem foedere, quod cum Phocensibus ictum erat, ut Aeschinis culpam demonstret, utitur § 61 sq., de foedere autem cum Cersoblepte facto tacet, iure Schaefer vol. II p. 167, 3 videtur concludere Cersobleptem cum Atheniensibus amicitia quidem iunctum fuisse, sed non foedere.

[2]) cf. Dem. in Phil. III, 15, Heges. de Hal. 36 sq.

[3]) cf. Dem. Ol. III § 28, Aesch. de f. leg. 71, Isocr. Areop. 9, schol. Dem. Ol. I § 27.

[4]) cf. Aesch. l. l.

[5]) cf. Aesch. l. l. § 70.

[6]) cf. Schaeferi vol. II p. 162 sq.

[7]) cf. Dem. in Phil. I § 34, de f. leg. 78, Apollod. in Neaer. 3, Heges. de Halonn. 4, Dion. ad Amm. p. 736.

[8]) cf. Aesch. de f. leg. § 20, Dem. de cor. 302.

[9]) cf. Dem. in Phil. I § 32.

[10]) cf. inscriptionem, quam edidit Kirchhoffius in diss. ord. philol. et hist. acad. Berol. a. 1867 fasc. 2 p. 1 sqq.

[11]) Aenii anno demum 341 ab Atheniensibus defecisse videntur, cf. Schaeferi vol. III,2 p. 277.

[12]) de his Chersonesi civitatibus vide excursum huic capiti additum.

[13]) cf. Dem. de cor. § 302.

[14]) cf. Dem. pro Rhod. lib. § 26.

III,9. Bosporum Thracium valebat. Abdera et Maronea, olim Atheniensium sociae, iam Philippo subiectae erant, cuius regnum ad Hebrum fluvium pertinebat.

§ 10. § 10. Quae cum ita essent, Athenienses, cum Aristodemus histrio, qui ad solvendos cives Athenienses Olynthi captos ad Philippum missus erat [1]), ex legatione reversus archonte Themistocle (a. 347/6 [2]) legationis rationem redderet et Philippum Atheniensibus benevolum esse et cum eis foedus inire cupere nuntiaret, haec pronis auribus audiverunt [3]). Ac Philocrate auctore populus decrevit, ut X legati ad Philippum mitterentur, qui cum eo de pace et de eis, quae et Atheniensibus et illi utilia essent, consulerent [4]). Quod factum est eodem die, quo Proxeni praetoris litterae in contione recitatae sunt, quibus ille populo nuntiavit legatos, per quos Athenienses omnibus Graecis per tempus mysteriorum indutias nuntiassent, a Phocensibus esse reiectos [5]). Cum autem legati in priore ad Philippum legatione quam celerrime profecti sint [6]) et decem seu potius paucioribus diebus facile in Macedoniam pervenire potuerint [7]), cum igitur ad totam legationem vix menstruo spatio opus fuerit [8]), denique cum haec prior legatio mense Elaphebolione (Martio vel Aprili a. 346) Athenas redierit, ea, quae Aeschines de indutiis mysterioticis dicit, ad magna mysteria, quae mense Boëdromione celebrabantur [9]), referri nequeunt. De minoribus igitur mysteriis cogitandum est [10]). Quae cum Anthesterione mense (Februario vel Martio) celebrarentur [11]), paulo ante σπονδοφόροι videntur esse missi. Quam ob rem aut exeunte mense Gamelione, ut putat Schaefer [12]), aut ineunte Anthesterione (mense Februario a. 346) Philocratis plebiscitum videtur esse factum. Legati creati sunt Ctesiphon, Aristodemus, Iatrocles, Cimo, Nausicles, Dercylus, Phryno, Philocrates, Aeschines, Demosthenes [13]), quibus ex sociorum concilio adiunctus est Aglaocreon Tenedius [14]). His decretis Athenienses pacis spei nimis indulgentes statim omnem belli apparatum

---

[1]) cf. Aesch. de f. leg. § 17.

[2]) Aesch. l. l. § 17 Demosthenem tum senatorem fuisse ait; Demosthenes autem senator fuit archonte Themistocle; cf. Aesch. in Ctes. § 62.

[3]) cf. Aesch. de f. leg. § 17. Ampliorem negotiationum, quae pacem Philocrateam antecessere, narrationem vide apud Schaeferum vol. II p. 154 sqq., 180 sqq. Ego ea tantum amplius tractabo, quae ad res Thracicas pertinent.

[4]) cf. Aesch. l. l. § 18.

[5]) cf. ibid. § 134.

[6]) cf. Dem. de f. leg. § 163.

[7]) cf. quae de itinere in Hellespontum faciendo Dem. de cor. § 30 dicit.

[8]) cf. Schaeferi de Dem. vol. II p. 182, 1.

[9]) cf. Hermanni antiq. Gr. vol. II § 56, 6 sqq.

[10]) cf. Boehnecke, Forschungen vol. I p. 380, 3.

[11]) cf. Hermannum l. l. § 58, 25 sqq.

[12]) l. l.

[13]) cf. arg. II ad Dem. or. de f. leg. p. 396; cetera de singulis legatis testimonia contulit Schaefer l. l. p. 182 sq.

[14]) cf. Aesch. de f. leg. 20, 97.

neglexerunt [1]). Legati quam celerrime in Macedoniam profecti sunt [2]). Philippus III eos benigne excepit, sed cum Amphipolim restituendam esse Atheniensibus censerent, rex id quidem non concessit; ceterum comiter legatis respondit [3]). Legatis autem Athenas redire parantibus cum ipse ad bellum Thracicum proficisceretur, se, dum Athenienses de pace consulerent, armis Chersonesum non esse aggressurum pollicitus est [4]). Litteras quoque ad populum Atheniensium ferendas legatis dedit, quibus se, si pax fieret, ingenti commodo Atheniensibus fore gloriabatur [5]). Deinde cum legati Athenas redissent et paulo post, Dionysiorum magnorum tempore, Philippi legati de pace cum populo acturi venissent, mensis Elaphebolionis diebus XVIII et XVIIII (medio mense Aprili a. 346) de pace comitia habita sunt [6]), in quibus Philocratis rogatio vicit, ex qua inter Athenienses eorumque socios et Philippum eiusque socios pax foedusque facta sunt ea condicione, ut utrique, quae haberent, retinerent (ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν [7]). Hac igitur pace Chersonesus [8]), excepta Cardia urbe [9]), quae ut Philippi socia pacis instrumento inscripta est [10]), Lemnus, Imbrus, Scyrus [11]) et, quotquot sociorum civitates Atheniensibus fidae manserant, eis servatae sunt. Sic pace, quae dicitur Philocratea [12]), bellum, quod per XI annos (357—346) Athenienses de Amphipoli cum Philippo gesserant, finitum est [13]).

Excursus IV.

De Chersonesi civitatibus (ad p. XXXXIX).

Kirchhoffius in diss. ord. philol. et hist. acad. Berol. a. 1867 fascic. 2 p. 7 Elaeuntem quoque urbem a. 353 a colonis Atticis occupatam esse putat eo nisus, quod in tabula rationum, quam Minervae quaestores, qui Lycisco archonte fuerant (a. 344/3), successoribus reddiderunt, ὁ δῆμος ὁ Ἐλαιουσίων Archia archonte (a. 346/5) populum Atheniensium corona ornasse dicitur. Sequitur enim in eadem inscriptione corona, quam eodem anno coronavit ὁ δῆμος ὁ ἐν Χερρονήσῳ τῶν Ἀθηναίων καὶ . . . . καὶ Μαδύτιοι aliique, quorum nomina perierunt, Atheniensibus donaverunt. Cum ibi dubitari nequeat, quin, ut in eadem inscriptione ὁ δῆμος ὁ ἐν Σάμῳ colonos Athenis Samum missos significat, ita ὁ δῆμος ὁ ἐν Χερρονήσῳ sint cives Attici Chersonesum

[1]) cf. Dem. de cor. § 27.
[2]) cf. Dem. de f. leg. 163.
[3]) cf. Aesch. l. l. § 27 sqq., Dem. l. l. § 253.
[4]) cf. Aesch. l. l. § 82.
[5]) cf. Dem. l. l. § 40 sq., 316, Heges. de Hal. 43.
[6]) cf. Aesch. in Ctes. § 68, Dem. l. l. § 56.
[7]) cf. Dem. de f. leg. § 169 sq., schol. ad § 161, Heges. l. l. § 24 sqq., schol. ad § 18, 23, Philoch. ap. Dion. Hal. ad Amm. I, 11 p. 741 sq.
[8]) cf. Dem. de f. leg. § 78 sq.
[9]) cf. Dem. de pace § 25.
[10]) cf. Dem. de f. leg. § 174, Phil. epist. § 11.
[11]) cf. Heges. de Halonn. § 4.
[12]) cf. Dem. l. l. § 150 ἡ εἰρήνη ἡ τοῦ Φιλοκράτους.
[13]) cf. Aesch. in Ctes. § 54, Din. in Dem. § 18.

incolentes, et cum paulo post in eadem inscriptione coronae enumerentur, quas Eubulo archonte (a. 345/4) ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν Atheniensium populo et senatui dederit, Kirchhoffius τὸν δῆμον τῶν Χερρονησιτῶν eundem esse censet, qui antea dictus sit ὁ δῆμος ὁ ἐν Χερρονήσῳ. Cum igitur ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν ex colonis Atticis constare videatur, idem censet de δήμῳ τῷ Ἐλαιουσίων. Ab his autem colonorum (κληρούχων) civitatibus liberas sociorum civitates ita distingui putat, ut omisso vocabulo δῆμος solum civitatis nomen ponatur, ut Ἀλωπεκοννήσιοι, Μαδύτιοι. Haec explicatio quam improbabilis sit, iam ex ipsa illa inscriptione apparet. Nam post eam coronam, quam ὁ δῆμος ὁ ἐν Χερρονήσῳ et Alopeconnesii et Madytii et quaedam aliae Chersonesi civitates Archia archonte Atheniensium populo miserunt, haec leguntur v. 20 sqq.: |ἐπ' Ἀρχίου ἄ|ρχοντος στεφανο|ῖ | ὁ δῆμο[ς ὁ . . . . ἐστεφάν]ωσεν τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων — — — —

ἐπ' Ἀρχίου στέφανος. ὁ ὁ δῆμος |ὁ . . . . ἐστεφ|άνωσεν τὴν βουλὴν κτλ.

Utramque coronam ab eadem civitate missam esse veri simillimum est. Ac cum nomen desideretur XII litterarum, Kirchhoffius scribendum esse censet aut ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν aut ὁ δῆμος ὁ ἐν Χερρονήσῳ et dicit colonos Atheniensium in Chersoneso, qui exceptis eis, qui Elaeuntem incolerent, una civitate comprehensi viderentur, non contentos ea corona, quam una cum aliis Chersonesi civitatibus Athenas misissent, duas alias solos donasse. Hoc autem mihi satis improbabile videtur, et potius scribendum esse censeo ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν et hanc civitatem diversam esse puto ab ea, quae supra dicitur ὁ δῆμος ὁ ἐν Χερρονήσῳ. Nam formae nominum ὁ δῆμος ὁ Ἐλαιουσίων et ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν mihi non videntur permittere, ut eas colonorum Atticorum civitates fuisse existimemus; sed colonorum civitates significari solent talibus nominibus, qualia sunt in ea, de qua loquimur, inscriptione ὁ δῆμος (scilicet ὁ Ἀθηναίων) ὁ ἐν Χερρονήσῳ, ὁ δῆμος ὁ ἐν Σάμῳ et apud Hyperidem (pro Lycophr. col. XIV) ὁ δῆμος ὁ ἐν Ἡφαιστίᾳ, ὁ δῆμος ὁ ἐν Μυρρίνῃ. Coloni autem Attici Elaeuntem incolentes non sunt Ἐλαιούσιοι neque δῆμος Ἐλαιουσίων, sed potius ὁ δῆμος (scil. ὁ Ἀθηναίων) ὁ ἐν Ἐλαιοῦντι. Nomina vero talia, qualia sunt ὁ δῆμος ὁ Ἐλαιουσίων et ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν, liberas civitates videntur significare. Velut in inscriptione, quam edidit Rangabé ant. Hell. vol. II p. 77, haec leguntur: τὴν μὲν φιλίαν καὶ τὴν συμμαχίαν ὑπάρχειν τῷ δήμῳ τῷ Μετιμνναίων πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, item in alia inscriptione, quae exstat ibid. vol. II n. 2285, ὁ δῆμος ὁ Κολοφωνίων laudatur εὐνοίας τῆς πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἕνεκα, item in inscriptione, quae exstat ibid. n 393 Andriorum civitas libera Atheniensium socia dicitur ὁ δῆμος ὁ Ἀνδρίων. Cum igitur iam propter hanc causam dubium videatur, num ὁ δῆμος ὁ Ἐλαιουσίων et ὁ δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν colonorum Atticorum civitates sint, haec Kirchhoffii sententia prorsus refellitur inscriptione, quam edidit C. Curtius in Hermae vol. IV p. 407, in qua de discordiis componendis agitur, quae a. 341 Elaeusiis et Chersonesitis cum Atheniensibus Chersonesum incolentibus ortae sunt. Inde apparet Elaeuntem urbem, quae ex omnibus Chersonesi urbibus prima circa a. 375 in Atheniensium societatem recepta erat, etiam a. 341 liberam fuisse. Non igitur a. 353 Elaeuntem coloni Attici missi sunt. Praeter Elaeusios liberos mansisse inscriptio, quam Kirchhoffius l. l. edidit, docet Alopeconnesios et Madytios et τὸν δῆμον τὸν Χερρονησιτῶν, qui in inscriptione anni 341, quam C. Curtius l. l. edidit, dicuntur Χερρονησῖται. Hanc autem civitatem ego esse censeo Agoram in faucibus Chersonesi inter Cardiam et Pactyen sitam. Primum enim in tabulis sexagesimae tributorum, quae exstant in Kirchhoffii corpore inscriptionum Atticarum vol. I n. 226 sqq., huius urbis incolae plurimum quidem dicuntur Χερρονησῖται ἀπ' Ἀγορᾶς, interdum autem nude Χερρονησῖται (cf. Boeckhium de oec. civ. Ath. vol. II p. 746). Nam quanquam in antiquioribus inscriptionibus Χερρονησῖται propter magnitudinem tributi syntelíam quandam complurium urbium significare videntur (cf. Koehlerum in diss. ord. philol. et hist. acad. Berol. a. 1869 fascic. II p. 170 sq.), tamen in inscriptione,

quae est apud Kirchhoffium 238, ubi Chersonesitae cum talenti tributo leguntur. Chersonesitae igitur videntur esse unius urbis incolae. Atque ex ipsa nominis forma vulgari Χερρονησῖται ἀπ' Ἀγορᾶς ego efficiendum esse puto Agoram urbem etiam Chersonesum esse vocatam; nam si plenius nomen ad hos Agoraeos ab aliis distinguendos inventum esset, dicendum fuisset Ἀγοραῖοι (de quo nomine cf. Steph. Byz. s. v. Ἀγορὰ) ἐν Χερρονήσῳ ut Ἐλαιούσιοι ἐν Χερρονήσῳ et Λιμναῖοι ἐν Χερρονήσῳ (cf. inscriptiones apud Kirchhoffium n. 36 et 238); nam ubi in tabulis sexagesimae tributorum eiusdem nominis urbes distinguuntur, semper antecedit urbis nomen. Cum igitur non dicantur Elaeusii et Limnaei Χερρονησῖται ἀπ' Ἐλαιοῦντος et ἀπὸ Λιμνῶν, mihi Agoraei propterea videntur esse vocati Χερρονησῖται ἀπ' Ἀγορᾶς, quod Agorae urbi alterum nomen fuerit Chersonesus. Quod si statuimus, apparet Agoraeos etiam nude dici potuisse Chersonesitas. Hanc autem sententiam certam esse Boeckhius l. l. Hecataei apud Steph. Byz. s. v. Χερρόνησος testimonio probavit, cui alia testimonia addidit Scholtenus de Chers. p. 26, 1. Videntur igitur a δῆμος ὁ Χερρονησιτῶν, qui in inscriptione a Kirchhoffio in diss. acad. Berol. l. l. edita commemoratur, et Χερρονησῖται, qui inveniuntur in inscriptione a C. Curtio l. l. edita, esse incolae Agorae urbis liberae Atheniensium sociae. Iam id quoque intellegitur, cur Elaeusii et Chersonesitae vel Agoraei pro se utrique Athenienses corona donare potuerint, Alopeconnesii autem et Madytii aliaeque liberae Chersonesi civitates ad coronam Atheniensibus mittendam cum colonorum Atticorum civitate se coniunxerint. Nam Elaeusiorum et Agoraeorum civitatem maiorem fuisse quam Alopeconnesiorum et Madytiorum ex tabulis sexagesimae tributorum scimus. — Cum igitur ex Chersonesi civitatibus Agora, Alopeconnesus, Elaeus, Madytus liberae et cum Atheniensibus foedere iunctae videantur fuisse, Sestum autem a. 353 colonis Atticis adsignatam esse constet, denique Cardia maxima Chersonesi urbs (cf. Dem. in Phil. III § 35, Strab. l. VII fr. 52) Philippi socia fuerit, restant hae Chersonesi civitates: Limnae, Aegospotami, Callipolis, Crithote, Pactye, de quarum condicionibus nihil certi scimus. Cum autem supra cap. II § 9 docuerim propter alias causas Crithoten a. 365 colonis Atticis adsignatam esse mihi videri, haec coniectura inscriptione a Kirchhoffio edita probatur, cum Crithote illa in liberis civitatibus non nominetur.

Caput IV.

De rebus ab Atheniensibus in Thracia a pace Philocratea (a. 346) usque ad pacem Demadeam (a. 338) gestis.

§ 1. Pace populi suffragiis probata reliquum erat, ut et Atheniensium magistra- IV,
tus et Philippus iure iurando pacem sancirent. Placuit igitur iterum legatos X ex Atheniensibus et unum ex sociis ad Philippum mittere, qui ab eo eiusque sociis in pacem fidem iusque iurandum acciperent[1]. Quod munus eisdem viris mandatum est, qui priore legatione functi erant[2].

Quo die pax fieret (Elaphebolionis die XVIIII), nullam Cersobleptis mentionem factam esse Aeschines dicit[3]; at de huius testimonii fide dubitari posse infra videbimus. Deinde Aeschines haec narrat: Creatis iam legatis, qui a Philippo ius iurandum

[1]) vide locos, quos contulit Schaefer vol. II p. 226, 1.
[2]) testimonia vide ibid.
[3]) in Ctes. § 82.

acciperent, nondum vero profectis contionem habitam esse, cui praesideret Demosthenes[1] Elaphebolionis die XXIIII[2]. In hac contione Critobulum Lampsacenum prodisse et dixisse se a Cersoblepte missum esse, ut Philippi legatis Cersobleptis nomine de pace ius iurandum praestaret, et petivisse, ut Cersobleptes inter Atheniensium socios pacis instrumento inscriberetur. Deinde Aleximachum quendam ex Pelecum pago praesidibus rogationem dedisse recitandam, qua Critobulo Cersobleptis legato cum ceteris Atheniensium sociis Philippi legatis pacem iurare liceret[3]. Recitata autem rogatione Demosthenem praesidem se populo de ea suffragia daturum esse negasse, quippe qua pax cum Philippo facta solveretur. Non enim eos socios esse, qui tamquam in libationibus manus ad res sacras admovissent, sed de ea re alteri contioni esse diiudicandum. Cum autem populus clamaret, Demosthene invito a ceteris praesidibus populo de Aleximachi rogatione suffragia esse data[4]. Attamen populus Aleximachi rogationem videtur antiquasse; nam Aeschines non ipsam Aleximachi legem recitari iubet, sed Aleximachi et praesidum de rogatione testimonia profert[5]. Deinde Aeschines narrat contione dimissa Atheniensium socios Philippi legatis in praetorio ius iurandum praestitisse et praetores Atheniensium legatosque sociorum testes adhibet se non, ut Demosthenes sibi opprobrio faciat, Cersobleptis legatum a iureiurando prohibuisse[6]. — Quamvis Schaefer[7]) in Demosthenis de falsa legatione oratione, qualis ad nos pervenerit, ullum locum inesse neget, quo haec Aeschinis verba referri possint, tamen mihi Aeschines his verbis testimoniisque refellere videtur Demosthenis verba de f. leg. § 174[8]).

---

[1]) cf. Aesch. l. l.

[2]) cf. Aesch. in Ctes. 73. Idem de f. leg. 90 hoc factum esse ait Elaphebolionis die XXIII, sed ex Spengelii coniectura, quam probat Schaefer II. 221, ibi legendum est. *ἐγένετο δὲ τῆς λέξεως ἐπιστολῆς, ἣν ἐπέστειλε — ὅτι — Ἱερὸν Ὄρος κατείληφε Φίλ., Ἐλαφ. μηνὸς ζ' φθίνοντος. Δημ. δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τοῦτον τοῦ μηνὸς ς' φθίνοντος.*

[3]) cf. Aesch. de f. leg § 83.

[4]) cf. Aesch. de f. leg. § 84.

[5]) cf. ibid. § 85, Bruckner „Konig Philipp" p. 167, Boehnecke Forsch. p. 399. 3. — Hanc sententiam Franke proleg. ad Dem. et Aesch. or. de f. leg. p. 19, Grote vol. XI p. 397, Schaefer vol. II p. 228. 4 impugnant Aeschinis verbis (§ 86): *τετόλμηκε δὲ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ὁ κατήγορος, ὡς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐγὼ Κριτόβουλον ἀπήλασα — παρόντων μὲν τῶν πρέσβεων, ἐψηφισμένου δὲ τοῦ δήμου κτλ.* At Aeschines hic mihi refellere videtur Demosthenis verba (de f. leg. § 174): (*Φιλοκράτης καὶ Αἰσχίνης Φωκέας ἐκσπόνδους καὶ Ἁλέας ἀπεφῆναν καὶ Κερσοβλέπτην παρὰ τὸ ψήφισμα καὶ τὰ πρὸς ὑμᾶς εἰρημένα.* Hoc autem *ψήφισμα*, de quo loquitur Demosth., non Aleximachi rogationem, sed plebiscitum Philocrateum de pace cum Philippo facienda esse infra docebo. Item docebo Aeschinem l. l. Demosthenis verba falso interpretari. Aeschines autem rursus non id Demostheni videtur opprobrio facere, quod ille contra plebiscitum Critobulum a iureiurando prohibuerit, sed quod ille auctoritate sua effecerit, ne populus Cersobleptem ut Atheniensium socium pacis instrumento inscribi iuberet (cf. § 85, 93). — Eandem quam Schaefer sententiam videtur habere Busoltius, qui l. l. p. 697 Cersobleptem re vera in Atheniensium societatem receptam esse censet, at si Cersobleptes Atheniensium plebiscito in eorum societatem receptus esset, praetores Critobulum a iureiurando prohibere non potuissent (vide infra).

[6]) cf. Aesch. l. l. § 85 sq.

[7]) vol. II p. 229.

[8]) verba exscripsi supra n. 5.

Ψήφισμα de quo hoc loco loquitur Demosthenes, videtur esse plebiscitum de pace cum Philippo facienda [1]. Nam cum Philocrates rogasset, ut inter Philippum eiusque socios et Athenienses eorumque socios exceptis Phocensibus et Halensibus pax fieret, populus eum coegerat, ut verba πλὴν Φωκέων καὶ Ἁλέων deleret [2], et quamquam Philippi legati regem unquam Phocenses ut Atheniensium socios in pacem recepturum esse negaverunt, tamen oratores Atheniensium spem excitaverunt Philippum hos quoque pace esse amplexurum [3]. Similem de Cersoblepte spem ab oratoribus excitatam esse probari videtur Demosthenis verbis [4]: Φωκέας [illegible] — ἀπέφαινον καὶ Κερσοβλέπτην παρά — τὰ πρὸς ὑμᾶς δίκαια [5]. Talibus pollicitationibus quod non satis fecerint, Demosthenes [6] Aeschini et Philocrati crimini dat. Aeschines autem Demosthenis verba mihi videtur falso ita interpretatus esse, quasi Demosthenes contendisset Cersobleptis legatum ab Aeschine a iureiurando prohibitum esse. —

At quamvis oratores pollicerentur Philippum facile Cersobleptem in pacem esse recepturum, tamen Demosthenes iure Aleximachi rogationem reiecit, cum Cersobleptes non esset receptus in Atheniensium societatem et Philippi legatis haud dubie praeceptum esset, ut ab eis tantum sociis ius iurandum acciperent, quorum legati Athenis in sociorum concilio considerent [7]. Quamquam autem populus Aleximachi rogationem antiquavit, tamen Critobulus in praetorium se contulit, ut cum Atheniensium sociis Cersobleptis nomine Philippi legatis pacem iuraret [8], sed, cum Cersobleptes non esset Atheniensium socius, ab Atheniensium praetoribus a iureiurando prohibitus est [9].

Cum Atheniensium magistratus et sociorum legati pacem iurassent, Philippi legati domum profecti sunt [10].

§ 2. Interea Philippus a Tere Odrysarum nonnullorum rege adiutus [11] bello cum Cersoblepte gerendo strenue operam dabat, et cum Chares Cersoblepti opem ferens nonnullis Thraciae oppidis praesidia imposuisset [12], perspicuum erat, si Atheniensium legati, antequam Philippus ea oppida caperet, in Thraciam venirent et a rege iusiurandum acciperent, oppida Cersoblepti et Atheniensibus servatum iri, aut

---

[1] cf. Schaeferum l. l. p. 229, 3.
[2] cf. Dem. de f. leg. § 159.
[3] cf. ibid. § 321 sq.
[4] l. l. § 174.
[5] cf. Schaeferi vol. II p. 229.
[6] l. l.
[7] cf. Aesch. in Ctes. § 74.
[8] cf. Aesch. de f. l. § 86.
[9] cf. Phil. epist. § 8.
[10] cf. Dem. de f. leg. 150.
[11] cf. Phil. epist. § 8. Cum Theopompus apud Lucianum (Macrob. [illegible]) Teren LXXXXII annos [illegible] referat, fortasse hic Teres, qui anno 341 a Philippo regno expulsus est (vide infra § 14), idem est, qui circa annum 400 de Thracibus a Byzantio ad [illegible] versus habitantibus regnavit (cf. Xenoph. Anab. VII [illegible]).
[12] cf. Dem. in Phil. III § 15, Heges. de Hal. [illegible], vide supra cap. III § 2.

fortasse Philippum, si iam unum alterumve cepisset, hoc eis redditurum esse, aut certe, si reddere nollet, legatos Atheniensibus hoc nuntiare posse, ut ab aliis Philippi insidiis caverent; sin omnibus oppidis captis legati ad Philippum venirent, Philippum non ea oppida retenturum esse constabat; neminem enim, cum res publica pace maxime egeret, propter oppida pauca et longe remota bellum esse renovaturum [1]. Plurimum igitur Atheniensium interesse debuit, ut quam primum Philippus iusiurandum praestaret [2]. Quam ob rem Demosthenes in senatu rogavit, ut legati quam primum in Hellespontum navigarent a Philippo iusiurandum accepturi [3].

Dum haec Demostheni curae sunt, Philippus proximis post pacem Athenis decretam diebus Serrhium castellum in ora Thraciae prope Maroneam situm [4] cepit [5] et Atheniensium praesidium a Charete castello iniectum pepulit [6], item Doriscum oppidum ad Hebrum situm [7] cepit [8]. Deinde Hebrum transgressus usque ad Propontidem processit ibique in Sacro Monte [9] Cersobleptem Atheniensium praesidio adiutum obsedit et Elaphebolionis die XXIII [10] hoc quoque oppidum cepit [11] et Atheniensium praesidium a Charete impositum pepulit [12]. Quam rem Chares per litteras Athenas nuntiavit [13].

§ 3. His nuntiis motus Demosthenes, cum saepius frustra ceteros legatos movere conatus esset, ut quam primum ad Philippum proficiscerentur [14], Munychionis die III [15] senatusconsultum effecit, ut legati statim abirent et Proxenus praetor eos eo duceret, ubi Philippum versari comperisset [16]. Hoc enim diserte in illo senatusconsulto scriptum esse Demosthenes [17] dicit, quamquam Aeschines, qui Cersobleptem iam, antequam legati Athenas abirent, prorsus devictum esse contendit [18], in eo de itinere in Thraciam faciendo quidquam scriptum esse negat [19].

1) cf. Dem. de f. leg. § 151 sqq., de cor. § 26 sqq.
2) cf. Dem. de cor. § 26.
3) cf. Dem. l. l. § 25, de f. leg. § 150.
4) cf. Herod. VII, 59, Strab. VII fr. 48.
5) cf. Dem. de Chers. § 64, Aesch. in Ctes. 82.
6) cf. Dem. in Phil. III § 15, Heges. de Hal. 36 sq.
7) cf. Herod. l. l. et. c. 108, Strab. l. l.
8) cf. Dem. de f. leg. 334, de Chers. 64, in Phil. III, 15, Aesch. in Ctes. 82.
9) cf. schol. Aesch. de f. leg. 90, Strab. VII fr. 56.
10) secundum Spengelium (vide p. LX n. 2).
11) cf. Aesch. de f. leg. 89 sq., Dem. de f. l. 156, 334.
12) cf. Dem. in Phil. III § 15, Heges. de Hal. § 36 sq.
13) cf. Aesch. l. l. § 90.
14) cf. Dem. de. f. leg. § 151, 154.
15) cf. Aesch. l. l. § 92.
16) cf. Dem. l. l. 158, de cor. 29 sqq.
17) cf. Dem. de f. leg. § 154.
18) cf. Aesch. l. l. 91 sq.
19) de f. leg. § 98.

Orei legati Proxenum convenerunt, sed cum X aut secundissimo vento tribus quattuorve diebus in Hellespontum pervenire liceret [1], quamvis Demosthenes eos hortaretur, ut iter maturarent, XXIII dies Orei manserunt et tandem profecti per Thessaliam et Macedoniam terrestre iter fecerunt Pellam ibique Philippi e Thracia reditum exspectaverunt, ut omnino cunctando L dies absumerent [2].

Interea Philippus in Thracia plurima oppida expugnavit [3], nam praeter ea, quae iam supra nominavi, capta ab eo dicuntur haec: Ergisca [4], ubi Atheniensium praesidium videtur fuisse [5], Myrtenum [6], Myrtisce, Ganus, Ganis [7]. Horum oppidorum, quorum ne nomina quidem Athenienses antea scivisse Aeschines [8] contendit, plurimorum situs nobis ignotus est. Ganos autem ad Propontidem sita nomen suum ad hodiernum diem servavit, et Ganis aut, ut Harpocratio apud Aeschinem videtur legisse, Γανίαι idem videtur esse oppidum, quod a Pseudo-Scylace [9] Γανία vocatur et ad Propontidem inter Ganum et Perinthum situm esse dicitur. Constat igitur Philippum usque ad mediam Propontidis oram septentrionalem pervenisse. Chersonesi partem extra Agoram sitam Apollonidi Cardiano dedit [10]. Cersoblepte autem prorsus devicto [11] magnam Thraciae partem Chersoneso finitimam Macedonum finibus adiecit, unde ei quotannis multae pecuniae multique milites veniebant [12]. Cersobleptis filius, qui iam ante bellum apud Philippum obses fuerat, ibi mansit et etiam anno 343, cum causa de falsa legatione ageretur, obses erat [13]. Quas praeterea pacis condiciones Philippus Cersoblepti praescripserit, nescimus.

Bello Thracico finito Philippus exeunte mense Thargelione (medio Iunio anni 346) Pellam rediit [14]. Ut autem iam res se habebant, non potuit fieri, quin Philippus Cersobleptem ut Atheniensium socium in pacem recipere nollet [15]. Pace iurata Philippus legatos Atheniensium per aliquantum temporis spatium apud se retinuit variis de causis [16]. Mensis demum Scirophorionis die XIII (ineunte Iulio a. 346) legati

[1] cf. Dem. de cor. § 30.
[2] cf. Dem. de f. leg. § 155.
[3] cf. Dem. l. l. § 156.
[4] cf. Aesch. in Ctes. § 82.
[5] cf. Heges. de Hal. § 36 sq.
[6] Myrtanum oppidum nominat Harpocr. Marsyam et Anaximenem secutus. Idem oppidum ab Aeschine Myrtiscen vocari Schaefer vol. II p. 233 censet.
[7] cf. Aesch. l. l.
[8] l. l.
[9] § 67.
[10] cf. Heges. de Halonn. § 39 sqq.
[11] cf. Aesch. de f. leg. § 90. Dem. de r. Chers. 64.
[12] cf. Dem. de cor. § 27.
[13] cf. Aesch. l. l. § 81.
[14] cf. Dem. l. l. § 30. 32. Aesch. l. l. § 101. 108.
[15] cf. Dem. de f. leg. § 174.
[16] cf. Dem. de cor. § 32.

V, 3 Athenas redierunt, ubi tribus diebus post (Scirophorionis die XVI) in contione de legatione ad populum rettulerunt [1], in qua Aeschines et Philippum, ut tutior Atheniensibus Chersonesus esset, eius isthmum inter Pteleum et Leucen Acten prope Iovis Terminalis aram in antiquo paeninsulae termino perfossurum esse dixit [2] et aliis vanis de Philippi consiliis mendaciis [3] effecit, ut populus decerneret, ut Philippo eiusque liberis cum populo Atheniensium aeterna pax sempiternumque foedus esset [4]. Quod plebiscitum quomodo Philippo facultatem dederit Graeciam intrandi, exponere nostrum non est [5]. Videamus igitur, quae post pacem Philocrateam iuratam in Thracia gesta sint.

§ 4 § 4. Cum iam pax Philocratea ignominiosa et indigna Atheniensibus fuisset, tamen legatorum corruptorum cunctatione et mendaciis multo maiora damna urbi allata esse Demosthenes [6] dicit. Quod et in universum et de Atheniensium in Thracia auctoritate valet. Nam cum pace Philocratea Cardia, quae iam antea Atheniensium dicioni subtracta erat, inter Philippi socios recepta esset, hoc foedus legatorum cunctatione multo periculosius factum est. Philippus enim ad Propontidem progressus terram Chersoneso finitimam sibi subiecerat, et Chersonesus, cum Apollonides Cardianus in ea magnum territorium adeptus esset, multo minus tuta erat Atheniensibus quam antea [7]. Tamen praesentis pacis gaudium imminentis periculi metum superasse videtur in animis et ipsorum Chersonensium et colonorum Atticorum. Nam in tabula rationis, quam Minervae quaestores, qui Lycisco archonte (a. 344/3) fuerant, successoribus reddiderunt, complures enumerantur coronae, quibus Archia archonte (a. 346/5) et Atheniensium in Chersoneso coloni et liberae Chersonesi civitates Elaeus, Agora, Alopeconnesus, Madytus aliaeque Atheniensium populum et senatum, qui Themistocle archonte (a. 347/6) fuerat, ornaverant [8]. Omnes has coronas a Chersonensibus missas esse, ut senatui populoque Atheniensi de pace cum Philippo sub finem proximi anni facta gratularentur, satis probabiliter Kirchhoffius [9] suspicatus est.

Attamen hae coronae damna in Thracia accepta oblivione obruere non poterant, praesertim cum a. 346 Byzantii denuo Atheniensium commercio Pontico incom-

[1]) cf. Dem. de f. leg. 58.

[2]) cf. Dem. in Phil. II § 30, Heges. de Hal. 40. — Schaefer vol. II p. 326, 1 hoc postea demum factum esse censet, quia alibi, ubi Aeschinis falsae de legatione relationis mentio fiat, haec res non commemoretur; at mihi hoc argumentum non videtur satis valere, ut Demosthenis testimonium reiciamus.

[3]) de quibus cf. Schaeferi vol. II p. 252 sqq.

[4]) cf. Dem. de f. leg. § 47 sqq.

[5]) vide Schaeferum l. l. p. 257 sqq.

[6]) l. l. § 150 sqq.

[7]) cf. Dem. l. l. § 78 sq.

[8]) Inscriptionem edidit Kirchhoff in diss. ord. philol. et hist. acad. Berol. a. 1867 fascic. 2 p. 1 sqq.; de interpretatione vide, quae supra excursu IV exposui.

[9]) l. l. p. 8.

mutarent[1]. Quae cum ita essent, etiam post legatorum a secundo itinere reditum de rebus Thracicis inter Athenienses et Philippum actum est. Decreverant enim Athenienses, ut Cersobleptí quoque liceret Philippo de pace Philocratea iusiurandum praebere[2], et Euclidem quendam ad Philippum miserunt, ut eum de rebus in Thracia gestis vituperaret[3]. Cui Philippus respondit se nihil peccasse, sero enim, cum iam oppida Thracica occupasset, se legatos convenisse et pacem iurasse[4]. Ceterum Philippus multis et splendidis pollicitationibus Athenienses placare studuit, propter quas Aeschines eum summis laudibus extulit[5].

Archonte Eubulo (a. 345/4) Athenienses (quare, nescimus) de Samothracibus sociis et de Chersonesitarum i. e. Agoraeorum populo videntur esse bene meriti; nam in tabula quaestorum Minervae a Kirchhoffio edita, cuius supra mentionem feci, coronae enumerantur ab utraque civitate hoc anno senatui populoque Atheniensi datae[6].

§ 5. Tribus post pacem Philocrateam annis cum propter varias insidias Graecis a Philippo partas Athenienses regi in dies magis diffiderent, Philippus ineunte a. 343[7] Pythonem Byzantium Athenas misit, qui splendida oratione habita eos oratores vituperavit, qui Philippo apud Athenienses obtrectarent, tamquam Graecis insidias pararet, et, si quid pace male constitutum esset, id ut corrigeretur, Athenienses ad Philippum legatos mittere iussit[8]. Hac oratione nisus Hegesippo rogante[9] populus decrevit, ut pax Philocratea ita mutaretur, ut sua utrique acciperent[10].

His decretis Hegesippus ipse cum aliis legatis ad Philippum missus est, ut cum de aliis rebus tum de rebus Thracicis secundum pacis emendationem, quam Athenienses iustam esse censerent, cum Philippo ageret et efficeret, ut et oppida Thracica, quae Philippus post pacem Athenis decretam pulsis Atheniensium praesidiis occupasset, Atheniensibus redderentur[11]) et Chersoneso antiqui fines restituerentur et

---

[1]) cf. Dem. de pace § 25.

[2]) cf. Dem. de f. leg. § 181, Schaefer vol. II p. 325. 2.

[3]) cf. Dem. l. l. § 162 et schol. p. 408 Dind. — Boehnecke Forsch. p. 404 iam mense Munychione vel Thargelione anni 346 Euclidem ad Philippum missum esse censet. Mihi autem, cum alii legati in Macedonia essent, Euclidis legatione non videtur opus fuisse. Praeterea si vera sunt, quae de Philippi responso scholiasta tradit, ex eis quoque effici potest Boehneckii sententiam falsam esse. Quapropter ego adsentior Schaefero, qui vol. II p. 326 post secundae legationis reditum Euclidem missum esse putat.

[4]) cf. schol. Dem. l. l.

[5]) cf. Aesch. in Tim. 169.

[6]) Samothraces praeterea corona ornaverunt civem quendam Atheniensem, cuius nomen praeter litteram initialem K periit, quem Kirchhoffius l. l. p. 11 fuisse coniecit Cephisophontem Aphidnaeum praetorem, quippe cuius nomine lacuna, quae in inscriptione exstat, prorsus expleatur.

[7]) cf. Boehnecke Forsch. p. 438, Schaefer l. l. p. 353. 6.

[8]) cf. Heges. de Halon. § 18 sqq.

[9]) cf. Heges. l. l. § 24 sqq.

[10]) cf. ibid. § 18.

[11]) cf. ibid. § 39 sq.

V, 3 Atheniensium cum Cardianis discordia componeretur [1]. Quam legationem Philippus ita male excepit, ut Xenoclidem poetam Atheniensem, qui in Macedonia vixit, quod Hegesippum eiusque collegas domi suae exceperat, finibus Macedoniae excedere iuberet [2]. Ab hac legatione Hegesippus iam infecta re redierat, cum Demosthenis de secunda anni 346 legatione contra Aeschinem lis in iudicium venit [3] archonte Pythodoto (post medium annum 343 [4]).

Eodem fere tempore Philippus Chareti Atheniensium praetori persuasit, ut exsules Thasios in Macedonia commorantes Thasum reduceret [5].

Pluribus demum post Hegesippi legationem mensibus (ineunte a. 342) Philippus epistolam ad senatum populumque Atheniensium misit, qua ad crimina ab Hegesippo eiusque collegis prolata respondit [6]. Hac epistola Philippus neque se Atheniensibus, ut pacem corrigerent, permisisse neque legatos suos hoc dixisse contendit [7]. De oppidis autem Thracicis, quae post pacem Athenis decretam pulsis Atheniensium praesidiis occupasset, scripsit se cum Atheniensibus arbitrium subire velle aequum et commune [8]. Item postulavit, ut Athenienses discordias, quae eis cum Cardianis essent, arbitrio diiudicandas committerent [9], cui si Cardiani se subicere nollent, ipsum se illos coacturum esse promisit [10]. Ceteras epistolae partes, quippe quae ad res Thracicas non pertineant, omitto.

Philippi legati, qui hanc epistolam Athenas pertulerant, ut ea, quae Philippus postularet, iusta esse Atheniensibus persuaderent, ipsi in contione ad populum verba fecerunt [11], nec defuerunt, qui ex Atheniensibus Philippi proposita populo commendarent [12]. Contra Philippi epistolam inprimis exstitit is, qui ipse legationem, ad quam haec epistola respondit, susceperat [13], quemque in epistola rex multis opprobriis

[1]) cf. ibid. § 39 sqq.
[2]) cf. Dem. de f. leg. § 331, Apollod. in Neaer. § 26.
[3]) cf. Dem. l. l.
[4]) cf. Dion. ad Amm. I, 10 p. 737.
[5]) cf. Heges. de Halonn. § 15 et schol. p. 173 Dind. Demosthenis consilium ... Athenienses mercennarios Thasum misisse et Demosthenem ipsum trierarchum in hac expeditione fuisse scriptor vitarum X or. p. 845 E tradit (cf. p. 850 F). Quando hoc factum sit, nescimus. Varias coniecturas protulerunt Westermann ad v. X or. p. 845, Boehnecke Forsch. vol. I p. 262, 1, Schaefer vol. II p. 475, 6. Hoc tantum constat hanc trierarchiam post orationem Midianam scriptam a Demosthene susceptam esse (cf. Boehnecke l. l.).
[6]) Tempus recte definiverunt Droysen in Ztschr. f. die Alt.-Wiss. a. 1839 p. 574, Schaefer vol. II p. 358, 2, 404, 1.
[7]) cf. Heges. l. l. § 18.
[8]) cf. ibid. § 26 sq.
[9]) cf. Heges. l. l. § 41.
[10]) cf. ibid. § 44.
[11]) cf. ibid. § 1, 46.
[12]) cf. ibid. § 45.
[13]) cf. ibid. § 2.

afferrat [1]. Hic in contione orationem habuit, quae in Demosthenis orationibus ad IV
nos pervenit et a re, quae prima in ea tractatur, nomen accepit περὶ Ἁλοννήσου. Non autem Demosthenis, sed Hegesippi eam esse iam veteres grammaticos cognovisse ex Libanii argumento apparet, et ex recentioribus viris doctis inprimis Voemelius [2] hanc sententiam ita probavit, ut iam inter viros doctos de hac re constet.

Hegesippus in hac oratione ad singulas Philippi epistolae partes accurate respondet, ex qua, quae ad nostram rem pertinent, afferam. Quod ad pacem mutandam attinet, Hegesippus Atheniensibus in memoriam revocat, quid Pytho Athenis in contione locutus sit, et demonstrat secundum illam Pythonis orationem se rogasse populumque decrevisse, ut pax ita mutaretur, ut sua utrique obtinerent. Iam cum Philippus negaret se legatosque suos ab Atheniensibus pacis mutandae consilia petivisse, manifestum esse Philippum permisisse, ut pax corrigeretur, non ut quid mutaretur, sed quod ei ab amicis persuasum esset neminem Athenis pacem mutare ausurum esse [3]. — De oppidis autem Thracicis, quae pace iam decreta Atheniensibus eripuisset, Philippum, cum nesciret, quomodo se excusaret, arbitrium proposuisse ait. At de hac re Hegesippus arbitrio opus esse negat, sed tempus optimum esse iudicem. Omnes enim scire, et quo mense quoque die pax facta sit, et quo mense quoque die oppida a Philippo capta sint [4]. — In Chersoneso vero Philippum non modo terram inter Agoram et antiquum Chersonesi terminum [5] sitam partim sibi sumpsisse partim Apollonidi Cardiano dedisse, sed etiam Cardianis, qui intra Agoram habitent, libertatem vindicare, cum postulet, ut Athenienses cum Cardianis arbitrium subeant. Secundum Callippi enim Paeaniensis legem Cardianos contendere se suam, non Atheniensium terram incolere. Quodsi Athenienses cum Cardianis arbitrium subeant, utrum sua an illorum terra sit, eodem iure ceteras Chersonesi civitates postulare posse, ut idem sibi arbitrium concedatur. Tantam autem esse Philippi superbiam, ut, si Cardiani arbitrium subire nolint, se eos coacturum esse scribat, quasi Athenienses Cardianos cogere nequeant [6].

Hac oratione habita Hegesippus responsum Philippi legatis dandum, quale iustum esse censuit, recitavit [7]. Similiter Demosthenes locutus est, qui iure contendit de rebus, de quibus inter Philippum et Athenienses ambigeretur, nullum inveniri posse

1) cf. ibid. § 19. 53.
2) contenditur Hegesippi esse orationem de Halonneso in programmate gymnasii Francofurtensis autumno a. 1830 scripto.
3) cf. Heges. l. l. § 18 sqq.
4) cf. Heges. l. l. § 26 sq.
5) vide c. II § 18 p. XXXVII n. 12.
6) cf. Heges. l. l. § 39 sqq.
7) cf. ibid. § 46.

§ 5 aequum iudicem[1]. Ac populus, ut Hegesippus rogaverat, se arbitria a Philippo proposita subiturum esse negavit[2].

§ 6. § 6. Philippus autem nondum tempus venisse ratus, quo ipsis Atheniensibus bellum inferret, primum Thraciam subigere et Graecorum ad Hellespontum, Propontidem, Bosporum portus capere statuit, ut Atheniensibus apparatum classicum et metalla argentea, quae ibi erant, et pecunias, quae eis ex Chersoneso redibant, eriperet, eorumque cum Ponto Euxino commercium frumentarium impediret[3].

§ 7. § 7. Hoc ultimum Philippi bellum Thracicum, quod per III annos gestum est, ex rerum scriptoribus Philippo aequalibus Theopompus Chius in Philippicis quinque[4], Anaximenes Lampsacenus in Hellenicis duobus libris[5] amplissime enarraverant, sed ex his narrationibus pauca ad nos fragmenta pervenerunt. Res usque ad Perinthi obsidionem gestas Ephorus quoque narraverat[6], unde ea videntur fluxisse, quae Diodorus in libro XVI de his rebus narrat. Ex Philochori Atthide excerpta sunt, quae Dionysius Halicarnassensis[7] de hoc bello narrat. Praeterea ad nos pervenere brevissima Iustini ex Trogi Pompei historiarum Philippicarum libro VIIII excerpta. Res usque ad Perinthi obsidionem gestas, quas Trogus in fine libri VIII narraverat[8], Iustinus omisit. Denique nonnulla scriptorum Byzantinorum medii aevi de Byzantii obsidione testimonia exstant. Cum igitur rerum scriptores pauca de hoc bello tradant, maxima pars notitiae nostrae ex Demosthenis orationibus de rebus Chersonesi, Philippica III, de corona, ex Aeschinis in Ctesiphontem oratione et ex Philippi epistola, quae Demosthenis orationibus inserta ad nos pervenit, hausta est. Accedit plebiscitum archonte Nicomacho factum, de quo infra dicam. His de fontibus historiae praemissis iam belli originem et cursum enarrabo.

§ 8. § 8. Causam belli cum Thracibus renovandi Philippo praebuisse videntur Cersobleptis contra urbes Graecas inimicitiae, quibus usus Philippus sub finem anni Pythodoti archontis[9] (medio anno 342) urbes Graecas in Thraciae ora sitas ad amicitiam hortatus magno exercitu[10] Thraciam invasit. Cum Cersoblepte tum coniunctus erat Teres, qui quamvis ab Atheniensibus civitate donatus a. 346 Philippo contra Cerso-

---

1) cf. Aesch. in Ctes. § 83.
2) de Cardia cf. Phil. epist. § 11.
3) cf. Dem. de Chers. 44 sq., de cor. 87, Iust. IX, 1.
4) l. XLVI — L., vide fr. 244 — 248,253 ap. Mullerum.
5) l. VII et VIII (cf. fr. 11 — 13).
6) cf. Diod. XVI, 76.
7) ad Amm. I p. 741.
8) cf. prol. l. VIII extr., l. IX in.
9) cf. Diod. XVI, 71. Cum Demosthenes anno 341 appropinquante iam aestate (cf. § 14. 18) orationem de r. Chers. haberet, Philippus iam undecimum mensem in Thracia bellum gessit (cf. § 2, 35).
10) cf. Diod. l. l., Dem. de rebus Chers. 14.

bleptem opem tulerat[1]. Thraces pluribus pugnis a Philippo victi sunt[2]; quamquam IV autem in acie Macedonum phalangi et melioribus armis resistere non poterant[3], tamen acerrime patriam contra Philippum defenderunt et eum interdum parvis cladibus adfecerunt, quae quidem eis parvo fructui fuerunt[4]. Nam quamquam Philippi milites media hieme in fossis squalidis castra collocare coacti sunt[5] et ipse rex propter multos magnosque labores per aliquantum temporis spatium aegrotavit[6], tamen neque hieme neque laboribus neque morbo prohibitus est, quominus X mensibus post Drongilum[7], Cabylam[8], Mastiram[9] aliaque Thraciae oppida, quae partim vi partim dolo[10] ceperat, teneret et alia everteret alia sibi muniret[11]. In nonnulla enim oppida capta Philippus Macedonum colonias deduxit improborum potissimum hominum et sceleratorum, ut Calybam, quae in Astarum terra sita erat[12], Binam[13], Philippopolim ad Hebrum fluvium sub Rhodope monte[14]. His coloniis Philippus Thraciam sibi parere coegit[15]. Praeterea satis probabile est eum magnas Thraciae partes amicis suis adsignasse[16].

Attamen laboribus et morbis[17] Macedonum vires ita exhaustae erant, ut ineunte

---

[1] cf. Phil. ep. § 8, 10 et supra c. III § 2.

[2] cf. Diod. [illegible]

[3] cf. quae de Alexandri expeditione Thracica Arr. Anab. I, 1 de Thracum armis Aen. Tact. c. 18, 6 dicunt.

[4] Quondam cum Thraces Philippum persequerentur, rex novissimi agminis milites stare, ceteros fugere iussit, ut, dum illi hostem retinerent, hi longius a persequentibus aufugere possent. Hanc Polyaeni (IV, 2, 13) narrationem ad hanc expeditionem rettulit Schaefer vol. II p. 419, 1.

[5] cf. Dem. de r. Chers. § 45.

[6] cf. ibid. § 36.

[7] cf. Harpocr. s. v.

[8] Anaxim. ap. Harpocr. s. v. hoc oppidum situm esse dicit in media Thracia ad Tonzum fluvium. Pro [illegible] autem, quod nomen ignotum est, [illegible] scribendum et de Tonzo fluvio in Hebrum influente cogitandum esse coniecit Tafel ep. crit. ad Const. Porph. de prov. r. Byz. p. XXVII. Secundum Steph. Byz. s. v. hoc oppidum non procul distabat ab Astarum terra, qui supra Byzantium incolebant (cf. Strab. VII p. 320, Ptolem. geogr. III, 2, 12, Steph. Byz. s. v. [illegible]), ubi Meinekius transpositis verbis, quae in sequenti glossa ([illegible]) leguntur [illegible], sic legendum esse censuit: [illegible]). Stephanus Cabylam cum Calyba videtur confudisse (cf. Strab. l. l.).

[9] Hoc nomen nisi apud Demosthenem nusquam legi Harpocr. s. v. adnotat.

[10] cf. Polyaen. III, 2, 4.

[11] cf. Dem. de r. Chers. § 44, de tempore cf. § 2, 35. Praeter oppida, quae supra nominavi, a Philippo capta sunt Bastira (nisi hoc idem oppidum est, quod apud Demosth. dicitur [illegible]), Potina, Ippinastos; cf. Anaxim. ap. Harpocr. s. v. [illegible].

[12] cf. Strab. VII p. 320, Steph. Byz. s. v., Theop. fr. 122, Plut. [illegible] 10 p. 520 b.

[13] cf. Etymol. M. s. v., Tzetz. Chil. p. 510 Kiessling.

[14] cf. Plin. n. h. IV 18, Ptolem. geogr. III, 2, 12, Steph. Byz. s. v.

[15] cf. Frontin. Strat. I, 4, 13.

[16] cf. Theop. l. XXXXVIII fr. ap. Athen. VI p. 261 A, quod nos ad hoc bellum Thracicum rettulit Thirlwall hist. Gr. vol. VI p. 42.

[17] cf. Dem. de r. Chers. § 36.

a. 341 plures ex Macedonia et Thessalia copias arcessi necesse esset[1]. His copiis Philippus sub finem aestatis a. 341 bellum cum Odrysarum regibus videtur confecisse.

§ 9. Sed antequam huius belli finem narremus, videndum est, quid interea in Thracia gesserint Athenienses. Eodem enim fere tempore, quo Philippus in Thraciam profectus est, Pythodoto archonte (a. 343/2) Athenienses Diopithem, ut videtur, Suniensem[2] praetorem cum colonis in Chersonesum miserant[3]. Hos colonos ceterae quidem Chersonesi civitates excepere eisque terram concessere, Cardiani autem reppulerunt, suam esse terram dicentes, non Atheniensium, et a Philippo socio auxilium petiverunt[4]. Qui, ut eum iam antea fecisse narravimus[5], ita iterum atque iterum causam arbitrio diiudicandam committi iussit, quod cum Cardiani facere parati essent, Athenienses se arbitrium subituros esse praefracte negaverunt[6]. Res igitur ad bellum venit. Coloni Polycrate rogante Cardianis et Philippo bellum intulerunt[7]. Cum autem ad bellum gerendum opes deessent, a civibus Chersonesi urbium Atheniensibus foederatarum, inprimis a Chersonesitis i. e. Agoraeis[8] et ab Elaeusiis plus videntur postulasse, quam secundum foederis condiciones postulare licebat. Quam ob rem Chersonesitae et Elaeusii Nicomacho archonte (a. 341/0) legatos Athenas miserunt, qui de colonorum iniuriis quererentur. Ac primum quidem Chersonesitarum querelis Athenienses satisfecerunt; quomodo, nescimus. Deinde septimae eiusdem anni prytaniae die XXVIII (ineunte mense Martio a. 340) Hippostrato Hipparchidis filio Pallenensi auctore populus decrevit, ut Elaeusiis eadem concederentur, quae Chersonesitis concessa essent, et ut Chares praetor ut Chersonesitis ita Elaeusiis consuleret, ut Elaeusii recte et iuste cum Atheniensibus in Chersoneso habitarent[9]. His decretis Chersonesitarum et Elaeusiorum cum colonis Atticis discordiae compositae sunt.

Diopithes autem, cum sociorum urbibus incommodare ab Atheniensibus vetaretur, ut aliunde sibi ad bellum Cardianum opes quaereret, terras ad Hellespontum sitas vastavit multaque navigia cepit[10], a quibus pecunias exegit[11]; nam cum Athenienses neque ipsi tributum ex censu numerare vellent neque Diopithi permitterent,

1) cf. ibid. § 14.
2) cf. Tzetz. Chil. VI, 97, Aesch. in Tim. § 63, Schaefer vol. II p. 422, 1.
3) cf. Philoch. ap. Dion. de Din. p. 666, Dem. l. l. § 6, in Phil. III § 15.
4) cf. Lib. arg. or. de r. Chers.
5) vide supra § 5.
6) cf. Phil. epist. § 11, Lib. l. l.
7) cf. Phil. ep. § 16, Dem. de r. Chers. § 6.
8) vide excursum IV.
9) cf. inscriptionem, quam edidit C. Curtius in Hermae vol. IV p. 407. Omnia haec, quae Diopithis belli gerendi rationem adumbrare possunt, hic narro, quamquam maxima rerum pars post Demosthenis de r. Ch. orationem gesta est.
10) cf. Dem. de Ch. § 9. 17. 19 sq., 46.
11) cf. ibid. § 26.

ut a sociis tributa (συντάξεις) colligeret, necesse erat Diopithem ipsum exercitui victum quaerere, undecumque poterat[1]. Quam ob rem ille, ut multi ante eum Atheniensium praetores fecerant circa Asiam navibus circumvectus ab urbibus Graecis pecunias exegit, quas illae, ne mercatorum suorum naves a Diopithe caperentur, sed ut ille eas comitaretur, libenter solvebant et εὐνοίας vocabant[2].

Philippus autem, cum Athenienses saepius frustra hortatus esset, ut cum Cardianis arbitrium subirent, a. 341 Cardianorum urbi praesidium imposuit[3]. Quam rem aegre ferens Diopithes, cum Philippus in internae Thraciae montibus contra Odrysas bellum gereret, Thraciae oram maritimam Macedonibus subiectam invasit vastavitque[4] et Crobylam Tiristasimque[5] oppida cepit incolasque sub corona vendidit[6]. Antequam autem Philippus reverteretur, in Chersonesum se recipere properaverat[7].

§ 10. De his rebus iratus Philippus ad Athenienses epistulam misit, qua Diopithem, quod pacem laesisset, gravissime accusavit[8] et se Cardiae praesidium imposuisse scripsit, ut colonorum Chersonensium impetum repelleret[9], denique Athenienses iterum hortatus est, ut cum Cardianis arbitrium subirent[10], sin sibi oboedire nollent, pacem manere posse negavit[11].

Hac epistola accepta Athenis de Chersonesi rebus contio habita est vere a. 341[12], in qua Philippi amici Diopithem non modo propter res gestas, sed etiam propter consilia[13] gravissime vituperaverunt et, ut poenas lueret, postulaverunt[14].

---

1) cf. ibid. § 22 sq., 26.
2) cf. ibid. § 9, 24–28.
3) cf. Lib. l. l., Dem. de r. Chers. § 58, 64, in Phil. III. 15, Phil. ep. § 13.
4) cf. Lib. l. l., Dem. de Ch. § 8.
5) Ps.-Scylax § 67 extra Chersonesum ad Propontidem haec oppida sita esse dicit: ... Τειρίστασις, Ἡράκλεια, Γάνος etc. Leucen Acten non procul a Chersonesi limite sitam fuisse scimus. Ganus ad Propontidem etiam nomen hodie habet. A Gano autem ad occidentem hodie sita est Eraclista, quae quin sit vetus Heraclea, propter nominum similitudinem dubitari nequit. Ab Eraclista autem ad occidentem hodie sita est Peristeris, quam veterem Tiristasin esse veri simile fit, quod scholiasta ad Phil. ep. § 3 adnotat: Τειρίστασις ...
6) cf. Phil. ep. § 3. Expeditio, quae in Philippi epistola commemoratur, num eadem sit, cuius mentionem faciant Libanius et Demosth., diiudicari nequit (cf. Schaefer vol. II p. 435, Thirlwall vol. VI p. 43, 2).
7) cf. Lib. l. l.
8) cf. Lib. l. l.
9) cf. Dem. de r. Ch. § 16, 64, in Phil. III, 16.
10) cf. Phil. epist. § 11.
11) cf. Dem. in Phil. III § 27.
12) Demosthenis de r. Chers. or., quae huic contioni tribuenda est, teste Dionysio ad Amm. p. 737 sq. habita est Sosigene archonte (a. 342/1), ex ipsa (§ 2, 24) apparet eam habitam esse X mensibus post Philippi belli Thracici initium. Quod cum Pythodoto archonte (a. 343/2) coeptum sit (cf. Diod. XVI, 71), apparet hanc orationem non post Aprilem a. 341 habitam esse. Vere autem eam habitam esse ex § 14 et 18 recte Schaefer vol. II p. 437, 1 efficit.
13) cf. Dem. de r. Chers. § 21 sq., 27.
14) cf. ibid. § 2.

§ 10. Iam cum in senatu de his rebus ageretur, unus ex eis dixerat simpliciter alterum utrum suaderi oportere aut bellum aut pacem, idemque apud populum repetitum est[1]. Suaserunt igitur, ut alter praetor cum classe in Hellespontum mitteretur, qui Diopithem coërceret[2]. Esse quidem Athenis, qui bellum movere vellent, ut aerarium diriperent; sed deliberaret populus, quam iucundum esset pacem agere, quam molestum exercitum magnum alere[3].

§ 11. § 11. Contra hos oratores exstitit Demosthenes et orationem habuit adhuc superstitem, quae inscribitur περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ. Quamquam ne ille quidem, quod Diopithes iniussu populi Thraciam maritimam vastaverat et navibus mercatoriis incommodabat, probavit[4], tamen non altero exercitu ad eum coërcendum opus esse, sed plebiscito eum puniri posse censuit[5]; cavendum autem esse, ne Diopithis exercitu soluto Chersonesus Philippi invasioni pateret[6], multa enim iam Philippum Atheniensibus eripuisse, quod illi semper praesto esset exercitus, Athenienses in copiis instruendis tempore consumpto sero venissent[7]. Tributum igitur ex censu numerandum esse, ne copiae a Diopithe conductae solverentur; si quid peccatum esset, id corrigendum; legatos in omnes regiones mittendos, qui civitates Philippi consilia edocerent easque Atheniensibus conciliarent; oratores, qui corrupti pecunia Athenis pro Philippo verba facerent, puniendos et oratorum patriae amantium consilia sequenda[8]. — Hac oratione Demosthenes effecit, ne Diopithes revocaretur[9], sed ut res ab eo gestae populi suffragiis probarentur[10].

§ 12. § 12. Eodem anno (342/1), quo oratio de rebus Chersonesi habita est, Demosthenes orationem habuit Philippicam III[11]. Chersonenses ab Atheniensibus pecuniam aliaque subsidia petiverant[12], sed Demosthenes, quamquam eis omnia, quae postulaverunt, praestanda esse censet, tamen iam non de Chersonesi rebus agi ait, sed curandum esse, ut omnes Graeci de Philippi consiliis edoceantur et ad commune bellum provocentur, cum Philippus iam pridem pacem laeserit et omnibus Graecis insidias paret[13]. Omnibus autem opibus enitendum esse, ne in ipsam Graeciam veniat Philippus; nam si ad Hellespontum retineri possit, bellum cum multa alia com-

[1]) cf. ibid. § 4, 6.
[2]) cf. ibid. § 28.
[3]) cf. Dem. de r. Chers. § 53 sqq.
[4]) cf. § 9, 20, 28.
[5]) § 28, 76.
[6]) § 17, 20.
[7]) § 11 sq., 15, 37, 50 sq.
[8]) cf. § 76.
[9]) cf. Dem. in Phil. III § 15, 20, 73.
[10]) cf. Phil. epist. § 3 extr.
[11]) Dion. Hal. ad Amm. I p. 737 sq. or. Phil. III post or. de Chers. enumerat et hunc ordinem, quem codices quoque praebent, rectum esse Schaefer vol. II p. 437. 4 probavit.
[12]) cf. Dem. in Phil. III § 20, 73.
[13]) cf. Dem. l. l. § 19 sq., 28, 71, 73

moda Atheniensibus praebere tum id, quod impune magna Philippi regni pars vastari posset [1]. Haec si faciant, fortasse meliorem rerum statum adduci posse [2].

§ 13. Athenienses tandem Demosthenis consilia optima esse cognoverunt [3]. Demosthenes ipse ad Thracum reges et ad Byzantios legatus missus est et utrobique effecit, ne Philippi legatis aures praeberentur [4]. Quamvis enim et Athenienses Byzantiis, quod non modo a societate a. 378 inita a. 357 descierant, sed etiam saepius commercio frumentario Pontico incommodaverant, irascerentur et Byzantii rursus Atheniensibus diffiderent [5], tamen Athenienses iniuriarum sibi allatarum obliti [6] aequum foedus Byzantiis obtulerunt [7] et hi, cum Philippus ab eis postularet, ut foedus secum initum servantes Atheniensibus bellum inferrent eorumque cum Ponto commercium frumentarium turbarent, negavere se hac condicione foedus fecisse et auxilium recusavere [8]. Demosthenis opera aequum inter Byzantios et Athenienses foedus factum est [9], et ut Byzantii ita Abydeni, qui per longius tempus Atheniensium inimicissimi fuerant [10], cum Atheniensibus reconciliati sunt [11]. In eadem legatione, quam post orationes de rebus Chersonesi et Philippicam III habitas suscepit [12], cum Demosthenes ad reges quoque Thracum venerit [13], apparet Cersobleptem et Terem media aestate anni 341 regno nondum esse pulsos [14].

§ 14. Nec vero multo post uterque rex regno privatus est [15]. Magna Thraciae pars Macedonum regno adiecta est [16], ut videtur, usque ad Salmydessum urbem ad Pontum Euxinum sitam, nam haec terra post Alexandri Magni mortem Lysimachi facta est [17]. Gentes ad septentrionem versus habitantes liberae manserunt [18]. Apollonia

---

1) § 51 sq.
2) § 76.
3) cf. Dem. de cor. § 320.
4) cf. Dem. l. l. § 244, Aesch. in Ctes. 256.
5) cf. Dem. de r. Chers. § 14 sqq.
6) cf. Dem. de cor. § 94 sq.
7) cf. ibid. § 238, Plut. v. Demosth. c. 17.
8) cf. Dem. l. l. § 87. — Schaefer vol. II p. 465, 2 dubitat, num Philippus hoc a Byzantiis postulaverit pace cum Atheniensibus nondum soluta. Ego autem nullam causam video, cur non statuamus Philippum etiam nondum soluta pace cum Byzantiis de auxilio contra Athenienses ferendo clam egisse. — Schaefer de auxilio contra Odrysas ferendo cogitat Theopompi fragmento 247 Muell., quod exstat ap. Steph. Byz. s. v. [illegible], sed verba incertissima sunt (cf. Meinekii adnotationem et supra p. LXIX n. 8), nec quidquam inde efficere licet nisi Philippum ad Byzantium prope accessisse.
9) cf. Dem. l. l. § 230, v. X or. p. 851.
10) cf. Dem. in Aristocr. § 158, 202.
11) cf. Dem. de cor. § 302.
12) cf. Dem. de Ch. § 14 sqq.
13) cf. Dem. de cor. § 244.
14) Videtur Demosthenes hanc legationem suscepisse aestate a. 341, antequam etesiae Metagitnione mense flare coeperunt (cf. Schaeferum l. l. p. 450, 4).
15) cf. Phil. epist. § 8, 11.
16) cf. Strab. VIIII p. 427. Arr. VII, 9, 3. Paus. I, 9, 5 sq.
17) cf. Arrian. τὰ μετὰ Ἀλέξ. ap. Phot. p. 69, 3. 18) cf. Arr. Anab. I, 1.

§ 14 urbs ad Pontum sita aliaeque Graecorum urbes in Philippi societatem receptae sunt[1]). Odessum Philippus aggressus est, sed nulla pugna commissa foedere icto revertit[2]) sub finem anni 341[3]).

§ 15 § 15. Interea Athenienses non desierunt ad bellum contra Philippum gerendum socios sibi parare. Ad Ochum quoque Persarum regem legatos miserunt, qui ei persuaderent, ut Philippo bellum inferret et se pecunia adiuvaret. Haec legatio nondum Athenas redierat, cum Philippus Atheniensibus eam epistolam misit, qua recepta Athenienses bellum decreverunt[4]).

Inimicitiae enim inter Philippum et Athenienses in dies augebantur. Milites Atheniensium Niciam Philippi praeconem intra Macedonum regni fines (ut videtur in Thracia[5]) ceperunt, quod factum Athenienses non modo non sunt ulti, sed praeconem per X menses in vinculis retinuerunt et Philippi epistolas, quas secum ferebat, in contione recitaverunt[6]).

Eodem fere tempore Demosthenes effecit, ut Athenienses novas in Hellespontum copias mitterent, quibus Chersonesum sibi tuerentur et insulas sociorum Proconnesum et Tenedum contra Philippum defenderent[7]). Simul Byzantii naves instruxerunt, quae cum piratarum navibus coniunctae Philippi commercio incommodarent, eisque Thasii portum aperuerunt et Athenienses, quorum praesidium Thasi erat[8]), quamquam pax Philocratea eis maris contra piratas custodiam mandavit et eos, qui piratas in portum reciperent, hostes esse iussit, Thasiis sociis hoc permiserunt[9]).

Diopithes autem, cum bellum a Chersonensibus contra Philippum susceptum ab Atheniensibus probari videret, iam aperte professus est imperatum sibi esse, ut, ubi opportunum videretur, bellum inciperet, et Byzantios, ut et ipsi Philippo bellum inferrent, hortatus est[10]). Cumque Philippus ad eum Amphilochum mitteret legatum, ut milites Crobylae et Tiristasi captos redimeret, Diopithes contra ius gentium legatum in vincula coniecit et extremis necessitatibus coëgit, ut libertatem VIIII talentis redimeret; quod factum Athenienses probaverunt[11]).

§ 16 § 16. Interea Philippus, ut iam pridem providerat Demosthenes[12]), bellum contra Byzantios decrevit. Cum autem classis eius per Hellespontum in Propontidem

---

[1]) cf. Iust. IX, 2, 1, Diod. XVI, 71.
[2]) cf. Iord. Get. c. 10.
[3]) cf. Schaef. vol. II p. 421, 2.
[4]) cf. Phil. ep. § 6; plura de hac legatione v. infra § 20.
[5]) haec est coniectura Schaeferi vol. II p. 461.
[6]) cf. Phil. ep. § 2, Plut. Mor. p. 700 c., v. Demetr. c. 22, Hellad. ap. Phot. bibl. 289 p. 5[illegible]
[7]) cf. Dem. de cor. § 302.
[8]) vide supra p. LXVI n. 5.
[9]) cf. Phil. epist. § 2.
[10]) cf. ibid. § 16.
[11]) cf. Phil. epist. § 3 sq.
[12]) de r. Chers. § 14 sq., 66, in Phil. III, 20.

profectura esset et Philippus metueret, ne Chersonenses ei incommodarent, ipse cum IV. exercitu iuxta Chersonesi oram maritimam classem prosecutus est; sed cum nondum aperte cum Atheniensibus bellare vellet, a navibus oppidisque capiendis abstinuit[1]. Ita classis tuto in Hellespontum pervenit[2]. Ac primum quidem Perinthum urbem ad Propontidem sitam, unde frequens in Asiam transitus erat[3], adgressus est, nam ut semper fere ita tum Perinthii cum Byzantiis artissimo foedere iuncti erant[4]. Haec autem urbs propter loci naturam facile contra obsidentes defendi poterat. Sita enim erat in paeninsula alta angusto isthmo cum terra continenti coniuncta[5]. In hac paeninsula urbis domus altae densaeque in montis clivo in theatri speciem ita aedificatae erant, ut alter domorum ordo alterum superaret[6]. Philippus igitur sub finem anni Nicomachi archontis ineunte aestate a. 340[7] Perinthum obsidione cinxit et machinis adhibitis moenia oppugnavit. Turres CXX pedum exstruxit Perinthiorum turres longe superantes ab eisque defensores in moenibus stantes deturbavit. Arietibus autem adhibitis et minis subfossis magnam muri partem demolitus est. Nec vero hoc multum Philippo profuit; nam Perinthii iam post illum murum alterum exstruxerant[8] nec desierunt multas ex urbe in obsidentes excursiones facere[9]. Iam vero multi

---

[1]) cf. Phil. epist. § 16. Boehnecke Forsch. p. 488, 2 huc refert, quae de Diopithis in Hellesponto pugna apud Tzetz. Chil. VI v. 97 leguntur; sed locus nimis corruptus videtur esse.

[2]) cf. Dem. de cor. 71. — Schaefer vol. II p. 467, 3 huc refert Demosthenis verba (de cor. § 139): φανερῶς ἤδη τὰ πλοῖα ἐσεσύλητο, Χερρόνησος ἐπορθεῖτο. — Mihi autem Chersonesus postea demum videtur esse vastata (cf. infra).

[3]) cf. Xen. An. VII, 2, 8.

[4]) Diod. XVI, 74 Perinthios ad Athenienses inclinasse dicit.

[5]) Hunc isthmum stadii latitudinem habuisse Diod. XVI, 76, CC pedum Plin. nat. hist. IV, 18 refert.

[6]) cf. Diod. l. l.

[7]) Philippum Nicomacho archonte (ante medium annum 340) Perinthum adgressum esse Diod. XVI, 74 narrat. Ex Philochori autem Atthidis l. VI Dion. Hal. ad Amm. I p. 741 haec excerpsit: Θεόφραστος Ἀλαιεύς (archon a. 340/39)· ἐπὶ τούτου Φίλιππος τὸ μὲν πρῶτον ἐπιπλεύσας Περίνθῳ προσέβαλλεν. Hos duos locos iam Clinton in fast. Hell. s. a. 340 ita conciliavit, ut Philippum ineunte aestate a. 340 sub finem anni Nicomachi archontis Perinthum adgressum esse, maximam autem obsidionis partem in Theophrasti annum incidisse diceret. Quae temporis ratio mihi videtur esse recta. Nam Philochorus statuere videtur obsidionis initium tum demum factum esse, cum classis Macedonum advenisset. Diodorus autem iam obsidente Philippo Perinthiis a Byzantiis auxilium missum esse narrat. Videtur igitur Perinthus primum terrestri tantum, non maritima obsidione esse cincta. Quod cum recte cognoverit Schaefer vol. II p. 479, 1, mirum, cur hanc discrepantiam, quae de tempore, quo obsidio coepta sit, inter Philochorum et Diodorum exstat, explicare noluerit, sed Philochori temporis rationem praetulerit. Nam cum Diodorus (XVI, 75) Perinthi obsidionem diuturnam fuisse dicat, hoc quoque suadet, ut eam iam Nicomacho archonte coeptam esse statuamus. Ipse enim Schaefer postea dicit Philippum contra Byzantium profectum esse, quo tempore Atheniensium naves frumentariae ex Ponto reverterentur. Hoc autem fieri solebat mensibus Metagitnione et Boedromione (vide supra c. I § 3). Quae cum ita sint et cum Schaefer ipse vero simile esse censeat (vol. II p. 481, 1) Philippum per III fere menses Perinthum obsedisse, eum iam Nicomacho archonte contra Perinthum profectum esse statuendum est. Ego igitur cum Boehneckio (Forsch. I, 470, 272 sq., 474, 638, 747), Boeckhio (de oec. civ. I, 745 sq.), Grotio (XI, 454) Diodorum sequor.

[8]) cf. Diod. XVI, 74.

[9]) cf. Plut. de fort. Al. II, 7 p. 339 b. c.

V, 16. Perinthii Macedonum telis interfecti erant, cum Byzantii sociis et milites et tela et catapultas auxilio miserunt, qua re utrorumque vires pares factae sunt. Iam rex copias suas in plures partes divisit et die noctuque modo his modo illis militibus usus urbis moenia oppugnavit et cum XXX milium exercitu multisque machinis Perinthios vehementer oppressit [1]). Cum vero obsidio diuturna esset et Perinthiorum multi occisi, multi vulnerati essent, et rex (post medium a. 340) classe advecta a mari quoque obsidione urbi circumdata summam in urbe victus inopiam effecisset, omnes iam urbem captum iri exspectabant [2]). Frustra Perinthii a Lacedaemoniis auxilium petiverant [3]), cum ex Asia eis necopinantibus auxilium venit. Arsites enim Phrygiae minoris satrapa [4]) aliique regis Persarum satrapae, cum Philippi vires crescentes metuerent, magnum mercennariorum exercitum, cui Apollodorus Atheniensis praefuit [5]), cum magna copia telorum, pecuniae, victus aliarumque rerum ad bellum necessariarum Perinthiis auxilio miserunt, quod utrum iussu an iniussu regis factum sit, non satis constat [6]). Simul Byzantii optimos duces militesque Perinthum miserunt [7]). Ab Atheniensibus quoque auxilium missum esse veri non dissimile est [8]). Utrimque pugna acerrime renovata est. Macedones enim, cum arietibus magnam moenium partem devellissent et telis defensores a moenibus detorsissent, simul per muri rupti intervalla urbem invaserunt et scalis in moenia defensoribus orba adscenderunt. Cum in urbe manus conseruissent, utrimque fortissime pugnatum est. Nam Macedones spe diripiendae opulentae urbis et donis a Philippo promissis incitati pericula audacter subierunt. Perinthii autem, cum captae urbis terrores ante oculos haberent, de salute sua viriliter dimicavere [9]). Adiuvit hos loci natura; nam etiamsi Macedones muros vellerent, Perinthii infimi ordinis domos muris inter se iunxerunt eisque ut moenibus ad urbem defendendam usi sunt, quae prioribus multo firmiora erant. Qua re Philippus coactus est, ut ab oppugnanda urbe desisteret [10]). Cum enim Byzantii iterum atque iterum Perinthiis auxilia mitterent, Philippus in obsidenda Perintho tempus terere diutius noluit.

[1]) cf. Diod. l. XVI c. 74.

[2]) cf. Diod. c. 75.

[3]) cf. Plut. apophth. Lac. Ag. 15 p. 216.

[4]) de quo cf. Arr. An. I. 12, 8, Paus. I, 29, 10.

[5]) cf. Paus. l. l.

[6]) Diod. XVI, 75 hoc iussu regis factum esse narrat; negat auctor orationis adv. Phil. epist. habitae § 5 sq., cuius quidem testimonio non multum ponderis tribuendum est, sed Alexander quoque Macedo in epistola ad Dareum regem scripta (ap. Arr. An. II, 14, 5) inter satrapas et Ochum regem distinguere videtur: *καὶ γὰρ Περινθίοις ἐβοήθησαν καὶ εἰς Θρᾴκην, ἧς ἡμεῖς ἤρχομεν, δύναμιν ἔπεμψεν Ὦχος.*

[7]) cf. Diod. l. l.

[8]) Diodorus quidem, quamvis ample Perinthi obsidionem narret, de auxilio ab Atheniensibus misso tacet, eumque secutus est Schaefer vol. II p. 470. Tamen Plutarchus v. Demosth. c. 17 Perinthiis quoque ab Atheniensibus auxilium missum esse tradit, eiusque fides probatur Demosthenis testimonio, qui de cor. § 89 Atheniensium populum a Byzantiis et Perinthiis coronis aureis donatum esse dicit.

[9]) cf. Diod. l. XVI c. 75. [10]) cf. Diod. c. 76.

§ 17. Itaque exercitu in duas partes diviso alteram ad Perinthum obsidendam sub optimis ducibus [1]) reliquit, cum altera ipse subito Byzantium adgressus est [2]). Qua repentino impetu Byzantii magnopere territi sunt, nam, quidquid eis militum et adparatus bellici fuerat, Perinthum miserant [3]), cetera autem Byzantiorum multitudo, cum diu penes populum imperium fuisset et urbs magno commercio frueretur et tota plebs circa forum et portum versaretur, mollis erat et luxuriae potuique indulgebat [4]). Omne igitur proeliandi periculum vitantes omissa finium custodia Byzantii, cum eorum urbs omnium fere urbium Graecarum optime munita esset [5]), in urbem se receperunt [6]). Philippus autem multis machinis adductis [7]) obsidione urbem cinxit [8]).

§ 18. Simul Philippus captis Atheniensium navibus mercatoriis pacem aperte fregerat [9]). Iam Athenienses a rege postulaverunt, ut non modo naves sibi redderet, sed etiam Cersobleptem et Terem, cum cives Attici essent, in Thraciae regnum restitueret [10]). Philippus autem epistolam ad Athenienses remisit, quam Demosth. de cor. § 76 recitari iubet et in qua regem quibusdam oratoribus, quod bellum moverent, crimini fecisse, ipsum vero non nominasse ait [11]). Haec epistola, cuius amplam apud Philochorum [12]) expositionem nobis non esse servatam dolendum est, Demosthenis orationibus Philippicis adiuncta ad nos pervenit [13]) et a Dionysio Halicarnassensi [14]) aliisque veteribus rhetoribus [15]) ut genuina citatur, quin etiam Diodorus li-

1) Unus videtur fuisse Antipater; cfr. Front. Str. I, 4, 13, Schaefer vol. II p. 471, l. 482, 2.

2) cf. Diod. XVI, 76, Trog. Pomp. l. IX prol.

3) cf. Diod. l. l.

4) cf. Theop. ap. Athen. XII p. 526 E, Damon. ibid. l. X p. 442 C, Menand. ibid. p. 442 A, Ael. var. hist. III, 14. Phylarchus ap. Athen. X p. 442 C Byzantios tubae bellicae sonum ne in somno quidem perferre ait.

5) cf. Paus. IV, 31, 5.

6) cf. Front. Str. I, 3, 4.

7) cf. Philoch. ap. Dion. Hal. ad Amm. p. 741, Dem. de cor. § 87, Hesych. Mil. de orig. Const. c. 26 apud Mullerum fr. h. Gr. vol. IV p. 151.

8) cf. Diod. l. l., Trog. Pomp. l. l.

9) cf. Dem. de cor. § 73. 139. In plebiscito, quod insertum est post § 73, Amyntas a Philippo classi praefectus Leodamantem Atheniensium praetorem cum classe, quae ad comitandas naves frumentarias missa esset, cepisse dicitur. Philippus in epistula post § 76 inserta has naves re vera ad Selymbriam contra se defendendam missas esse contendit. Sed et plebiscitum et epistolam subditicia esse satis constat. Recte monet Schaefer vol. II p. 475, 3 triremes numquam dici [illegible], Demosthenem autem de [illegible] loqui. — Selymbriam a Philippo oppugnatam esse quamquam nusquam alibi testatum est, tamen non improbabile est, cum Selymbria Byzantiis pareret (cf. Dem. de Rh. lib. § 26). — Schaefer II, 471, 2 ad idem tempus refert, quod Iust. IX, 1, 5 sq. Philippum ex piratica pecuniam quaerentem CXX naves mercatorias cepisse narrat. At secundum Iustinum hoc postea factum est, cum Philippi opes longa obsidione iam paene exhaustae essent.

10) cf. Phil. epist. § 8.

11) de cor. § 76. 79.

12) cf. Dion. Hal. ad Amm. p. 741.

13) [illegible] apud Reiskium p. 158 sqq. Epistulam orationi de corona post § 76 insertam spuriam esse satis constat.

14) l. l. [illegible] cf. Bohnecke «Forsch.» p. 520, 3. 15) cf. locos, quos contulit Schaefer vol. III, 2, p. 104, 5 et 6.

, 18 storicus eam videtur citare [1]. Inter recentiores autem viros doctos magna lis orta est, utrum genuina haec epistola an spuria sit [2]. Imprimis contra epistolae genuinam originem prolatum est, quod in ea hiatus diligentissime vitaretur [3]. Nec tamen in ea omnino desunt hiatus; nam praeter nonnullos leviores, quos facile expelli posse Benseler putat, unus exstat gravissimus § 3 καὶ ταῦτα τῷ δήμῳ εἰ δοκοῦντα ἐποίησεν, qui quomodo removeri possit, Benseler nescit. Atque ut vitatus sit hiatus, ne tum quidem epistola spuria putanda est; nam Philippus eam componendam Pythoni aliive rhetori apud se commoranti mandare potuit [4], ac Pythonem Isocratis discipulum fuisse scimus [5]. — Quod ad res in epistola narratas attinet, dubitationem movit § 9, ubi Athenienses, cum Sitalces Odrysarum rex, cui civitatem Atticam dedissent, interfectus esset, cum eius interfectore amicitiam inisse dicuntur. Iacobsius enim [6], cui adsentitur Schaefer [7], Sitalcen hic cum Cotye confusum esse putat, cum Sitalces neque civis Atheniensis fuerit neque dolo interfectus sit neque Athenienses cum eius interfectore amicitiam inierint. Cogitavit enim Iacobsius de eo Sitalce Odrysarum rege, qui a. 423 in expeditione contra Triballos suscepta periit [8]. Iam vero Boehneckius [9] locum protulit, ubi re vera Sitalces quidam civitate Attica donatus esse dicitur. Ad Aristophanis enim Acharnensium v. 345:

„τὸν δ᾽ υἱὸν (Σιτάλκου), ὃν Ἀθηναῖον ἐπεποιήμεθα“

scholiasta haec adnotat: τοῦτον πολίτην ἐποίησαν Ἀθηναῖοι. — ἐλέγετο δὲ οὗτος Τήρης. ἔνιοι δέ φασιν, ὅτι ὁμώνυμος ἦν τῷ πατρὶ Σιτάλκει. — Θουκυδίδης προστίθησι καὶ τὸ ὄνομα λέγων οὕτως „καὶ Σάδοκον τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀθηναῖοι“ (cf. Thuc. II, 19. 67). Inde Boehneckius haec effecit: Sitalci Odrysarum regi III filios fuisse Sadocum, Sitalcem, Terem; dubium autem fuisse, quem ex his tribus Aristophanes civitate Attica donatum esse diceret. Cum autem Thucydides rerum Thracicarum peritissimus sit, dubitari non posse, quin Aristophanes Sadocum dixerit. Eos vero, qui Sitalcem civitate Attica donatum esse dixissent, et ceteros et Philippum, Sitalcem cum Sadoco confudisse. — Ego autem ne hunc quidem errorem Philippo tribuerim; sed potius ex scholio illo Aristophaneo efficio omnibus tribus Sitalcis filiis civitatem Atticam datam esse et id tantum veteribus interpretibus dubium fuisse, quem eorum Aristophanes significaret. De Sitalce igitur Sitalcis filio in Philippi epistola sermo esse mihi videtur, qui qui-

[1]) l. XVIII c. 10; cf. Phil. ep. § 19.

[2]) Libros, qui pro epistolae genuina origine et contra eam scripti sint, vide apud Schaeferum l. l. p. 105.

[3]) cf. Benselerum de hiatu p. 81 sqq.

[4]) cf. Aesch. de f. leg. § 125.

[5]) cf. anon. v. Isocr. p. 257 West.

[6]) Demosthenes' Staatsreden p. 419 sq.

[7]) vol. III, 2 p. 112.

[8]) cf. Thuc. IV, 101.

[9]) ‹Demosthenes, Lykurgos, Hyperides und ihr Zeitalter› p. 564 sqq.

dem quando et a quo interfectus sit, nescimus. Neque enim, ut Boehneckius censet, W a Tere eum interfectum esse Philippus dicit, neque inde, quod Philippus de hac re loquitur, effici potest Philippi aetate eum interfectum esse; nam Philippus in hac epistola pluribus locis ad tempora remotiora Athenienses revocat [1]. Cum igitur Sitalcis mentio mihi nullam videatur praebere offensionem, iam ad aliud Schaeferi argumentum transeo. Moverunt enim huius viri docti suspicionem verba § 22: πολλάκις γὰρ ἐμοῦ γράψαντος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ὑπὲρ αὐτῆς (Ἀμφιπόλεως) ἐγνώκατε δικαίως ἔχειν ἡμᾶς τότε μὲν ποιησάμενοι τὴν εἰρήνην ἔχοντες ἐμοῦ τὴν πόλιν κἆτα συμμαχίαν ἐπὶ ταῖς αὐταῖς ὁμολογίαις. Recte quidem Schaefer monet pacem et foedus simul facta esse [2], sed haud scio an verba κἆτα συμμαχίαν κτλ. ad plebiscitum post legatorum reditum factum spectent, quo Philippo eiusque liberis aeternum foedus decretum est [3]. Solum argumentum, quod mihi aliquid valere videtur, id est, quod Demosthenes dicere videtur Philippum in epistola quosdam oratores Athenienses ut belli auctores nominasse [4], in epistola autem in universum tantum horum oratorum mentio fit [5]. Hoc autem argumentum num sufficiat ad epistolam a Philippo abiudicandam, ego eo magis dubito, quod idem ille locus, ubi oratorum mentio fit, apud Diodorum [6] citatur, qui verba illa haud dubie non e memoria citavit, sed in alius rerum scriptoris opere, quo usus est, citata legit. Fortasse igitur Demosthenes minus accurate de Philippi epistola locutus est.

Cum igitur Philippi epistolam spuriam esse mihi non videatur posse demonstrari, oratio, quae contra hanc epistolam habita in Demosthenis orationibus circumfertur, quin spuria sit, iam nemo fere dubitat [7].

§ 19. Accepta Philippi epistola Athenienses Theophrasto archonte (post medium a. 340) decreverunt, ut columna, in qua pax Philocratea scripta esset, velleretur, naves implerentur, omnia ad bellum pararentur, cum Philippus iam pridem pacem laesisset [8]. In belli suasoribus Hegesippus videtur fuisse [9]. Demosthenem quoque bellum suasisse Aeschines dicit [10]. Demosthenes autem ipse [11] se ullam rogationem fecisse legemve tulisse negat, qua bellum effectum sit. Nec vero probabilis est

[1] § 7, 17, 21.
[2] cf. Dem. de f. leg. § 143 sq., vide supra c. III § 10.
[3] cf. Dem. l. l. § 47 sqq., vide supra c. IV § 3.
[4] de cor. § 76, 79.
[5] § 19.
[6] l. XVIII c. 10.
[7] vide de hac oratione Schaeferi vol. III, 2, 105 sq., de oratione Philippica IV ibid. p. 44 sq.
[8] cf. Philoch. ap. Dion. l. l. p. 741, Diod. XVI, 77.
[9] Scite huc rettulit Schaefer vol. II p. 474, 1, quae de Hegesippo narrantur ap. Plut. Apophth. p. 187, in Crameri Anecd. Par. vol. I p. 166.
[10] in Ctes. § 55.
[11] de cor. § 75 sqq.

§ 19. Grotii[1]) sententia, qui Demosthenem, cum Athenienses aestate a. 340 Philippo bellum indicerent, a legatione Byzantina nondum redisse censet. Supra enim probavimus Demosthenem hanc legationem iam aestate a. 341 suscepisse[2]). Neque Philippi epistolae testimonium, quo Demosthenes utitur, probare potest Demosthenem post illam epistolam missam non suasisse bellum. Hoc tantum haud scio an ex Demosthenis verbis effici possit eum non fuisse auctorem rogationis, qua pax solveretur, quanquam Philochorus[3]) plebiscita, quibus bellum indiceretur, a Demosthene facta esse tradit.

§ 20. § 20. Cum Philippus epistolam, de qua modo diximus, ad Athenienses mitteret, Atheniensium ad Persarum regem legatio, cuius dux fuit Ephialtes[4]), nondum redierat[5]). Neque haec legatio Atheniensibus prospere cessit. Nam Ochus rex Atheniensium populo epistolam remisit superbam, qua se eos pecunia adiuturum esse prorsus negavit[6]). Tamen haec legatio Demostheni Hyperidi aliisque oratoribus dona regis Persarum attulisse dicitur, Demostheni III milia daricorum[7]). Diopithi quoque a rege donum missum est, quod antequam in Hellespontum venit, Diopithes iam mortuus erat[8]).

§ 21. § 21. Obtigit autem Atheniensium civitati, ut etiam non adiuta a Persarum rege Byzantios periculo liberaret. Bello enim indicto Athenienses statim Demosthene auctore[9]) Charetem, quem iam Nicomacho archonte (a. 341/40) cum classe circa Chersonesum fuisse scimus[10]), cum XXXX navibus et mercennariis Byzantiis opem ferre iusserunt[11]). Item Chii, Coi, Rhodii aliaeque Graecorum civitates Byzantiis auxilia miserunt[12]). Nec paucae orae Thracicae civitates Graecae Byzantiis videntur opem tulisse[13]). Auxilium a Charete Byzantiis latum parvi aestimat Plutarchus[14]), qui

1) vol. XI p. 455.
2) vide supra § 13.
3) ap. Dion. Hal. ad Amm. I p. 741.
4) cf. v. X or. p. 847 F, 848 E.
5) cf. Phil. ep. § 6.
6) cf. Aesch. in Ctes. § 238.
7) cf. v. X or. l. l.
8) cf. Aristot. Rhet. II, 8 p. 1386, 13.
9) cf. Dem. de cor. § 80.
10) cf. inscriptiones navales XIII c 81 et XIV d 223 apud Boeckhium »Urk. uber das Seewesen des attischen Staates« et plebiscitum, quod edidit C. Curtius in Hermae vol. IV p. 407.
11) cf. Plut. Phoc. 14, Diod. XVI 77, Hesych. Mil. de orig. Constantinop. c. 28.
12) cf. Diod. l. l., Front. Str. I, 4, 13.
13) Polyaenus enim (IV, 2, 21) haec narrat: Philippus, ut socios a Byzantiis averteret, perfugas Byzantium misit, qui nuntiarent sociorum urbes a regis copiis oppugnari nec multum abesse, quin caperentur. Simul nonnullas exercitus partes in diversas regiones emisit, ut urbes sociorum aggredi videretur. Quae cum audirent et viderent, Byzantiorum socii in patrias urbes reverterunt. — Ibi quin de orae Thraciae incolis sermo sit, dubitari nequit. — Schaefer vol. II p. 481, 2 Philippum hoc dolo effecisse putat, ut classis ex Ponto in Propontidem rediret; sed id cur censeamus, in Polyaeni verbis nullam causam video, et Frontinus l. l. Philippum, ut id efficeret, alio dolo usum esse narrat. 14) l. l.

Charetem ab hostibus contemptum cum classe circa sociorum urbes circumvectum esse et ab eis pecuniam exegisse narrat. Byzantios autem ei ita diffisos esse, ut eum in urbem recipere nollent. Nec veri dissimile est Byzantios inde a belli socialis temporibus Atheniensibus esse diffisos. Attamen Plutarchus, ut Phocionis laudem augeret, Chareti nimis videtur obtrectasse [1]. Nam rerum a Charete pro Byzantii salute gestarum memoria usque ad medii aevi initia servata est; Phocionis vero apud posteriores scriptores Byzantinos nulla fit mentio [2]. Philippi classis in internum Bosporum reiecta est, ubi in sinu Lasthenico [3] ad cautes Bacchias Byzantii, quorum classis additis sociorum navibus [4] Philippi vires longe superabat [5], Demetrium, quem Philippus Macedonum classi praefecerat, pugna navali vicerunt et locum pugnae, cum summo ardore pugnatum esset, Thermemeriam vocavere [6]. Philippi classis in Pontum se recipere coacta est et Athenienses in Ponti ostio [7] angustias Cyanearum ita custodiebant, ut Macedones Bosporum intrare non possent [8]. Chares enim promunturium in Bospori litore Asiano inter Chrysopolim et Chalcedonem situm occupavit ibique classem in statione collocavit [9], ubi omnes naves ex Ponto et in Pontum navigantes praetervehi necesse erat [10]. Hoc loco occupato Athenienses commercium frumentarium bene tueri poterant, ac per belli Byzantini tempus Athenis caritas annonae non est orta [11], quamquam Philippum, cum in diuturna Byzantii obsidione eum defecisset pecunia, ex piratica pecuniam quaesivisse et CLXX naves mercium plenas, in eis nonnullas Chiorum et Rhodiorum [12], cepisse legimus [13]. Cum Chares ad Chrysopolim moraretur, coniux eius Damalis mortua est, et Chares ei in ora maritima sepulcrum exstruxit, quod usque ad medium aevum permansit [14].

Philippum in obsidione machinis et minis instruendis Polyidus Thessalus adiuvit [15]. Sinui, qui Κέρας vocabatur, rex pontem iniunxit, quem lapidibus demersis

[1] cf. Boehnecke Forsch. p. 475, 4. Schaefer II, 476.

[2] cf. Syncelli p. 263, Hesych. Mil. l. l.

[3] cf. P. Gyllii excerpta ex Dionysii Byz. anaplo Bospori apud Hudsonem in geogr. Gr. min. vol. III p. 13; apud Plin. n. h. IV, 18 sinus Casthenes dicitur; Lasthenem dicit Steph. Byz. s. v. [illegible]

[4] cf. Schaeferi vol. II p. 476, 5.

[5] cf. Dionys. l. l. p. 7.

[6] cf. Dionys. l. l. p. 14. Hesych. l. l. c. 27. Boehneckius ex hoc nomine efficit calidissimo aestatis die pugnatum esse (Forsch. p. 470, 473, 797).

[7] cf. Dionys. l. l. p. 17 sq.

[8] cf. Front. Str. I, 4, 14.

[9] cf. Hesych. l. l. c. 28.

[10] cf. Polyb. l. IV c. 43 sq., Dionys. Byz. l. l. p. 22.

[11] cf. Dem. de cor. § 89.

[12] cf. Frontini Strat. I, 4, 13.

[13] cf. Iust. IX, 1, 5 sq. Quamquam enim Athenienses Bosporum tuebantur, tamen Philippi classem impedire non poterant, quominus in ipso Ponto Euxino hostium navibus mercatoriis insidias pararet. [14] cf. Hesych. Mil. c. 29. sh. Steph. B. s. v. [illegible], Const. Porph. II, 12.

[15] cf. Athenaei de machinis librum in veterum mathematicorum editione, quae prodiit Parisiis a. 1693 p. 3.

V, 21. contra navium hostilium impetum defendit [1]. Ad hunc pontem exstruendum materia usus est a Plutonis templo extra urbem sito, quod demolitus est, sumpta [2]. Deinde per minam urbis moenibus suffossam nocte quadam illuni saevis imbribus cadentibus Macedones in urbem pervenerunt, sed canum latratu cives ex somno excitati cito armis sumptis hostes ex urbe eiecerunt. Simul in caeli partibus septentrionalibus nubes igneae conspectae sunt [3], quas Byzantii Hecatae luciferae faces esse existimaverunt [4]. Quam ob rem Macedonibus feliciter victis cum moenia rupta et turres deletas lapidibus ex sepulcris propinquis arcessitis restituissent [5], moenibus novis Hecatae faces ferentis ut servatricis suae agalma imposuerunt [6].

Byzantii salutem imprimis Atheniensium copiis fortissime pugnantibus deberi Plutarchus dicit [7]. Quam ob rem Schaefer [8]) suspicatur iam tum Phocionem cum altera Atheniensium classe Byzantii fuisse. Sub finem enim anni 340 Athenienses alteram classem, in qua Hyperides trierarchus fuit [9]), sub Phocione et Cephisophonte ducibus [10] Byzantiis auxilio miserunt. Hoc ut facerent, Plutarchus [11] Athenienses motos esse tradit, quod socii Chareti diffidere nuntiarentur. De qua re cum populus irasceretur eumque iam auxilii missi poeniteret, Phocionem dixisse non sociis eos irasci decere, sed praetori, qui ita se gereret, ut socii ei diffiderent. Deinde Phocionem ipsum cum classe Byzantium missum esse [12]. Haec quoque classis ut mitteretur, Demosthenes effecerat [13]), qui Phocionem adversus Charetem subornasse et populo commendasse dicitur [14] et ipse hoc anno (utrum ad Charetis an ad Phocionis expeditionem, incertum est) ad bellum Byzantinum rei publicae triremem donavit [15]).

Cum Phocio Byzantium venisset et ut Chares extra urbem castra collocare vellet, Leo Leontis filius, qui tum Byzantiorum rei publicae praefuit [16]), cum olim cum

[1]) cf. Dionys. Byz. l. l. p. 7.

[2]) cf. ibid. p. 2 sqq.

[3]) cf. Hesych c. 27

[4]) cf. Steph. l. l.

[5]) Unde nova moenia [illegible] nomen duxerunt.

[6]) cf. Hesych. l. l., Constant. Porph. de prov. r. Byz. II, 12, Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 140.

[7]) v. Phoc. c. 14

[8]) vol. II p. 480.

[9]) cf. v. X or. p. 848 F.

[10]) cf. inscriptiones de re navali, quas edidit Boeckhius XIII c 98, XIV d 240. Cephisophon Aphidnaeus antea cum classe Sciathum missus erat (cf. inscr. XIV c 10), quod archonte Nicomacho (a. 341/40) factum esse Boehneckius Forsch. p. 736 suspicatur, archonte Eubulo (a. 345/4) Kirchhoffius in diss. acad. Berol. ord. philol. et hist. fascic. II p. 11 (vide supra p. LXV n. 6).

[11]) cf. Plut. l. l. et Apophth. Phoc. 8.

[12]) cf. Dem. de cor. § 80.

[13]) cf Nep. v. Phoc. c. 2, quem locum huc referendum esse cognovit Boehnecke Forsch. p. 475.

[14]) cf. v. X or. p. 851.

[15]) cf. Hesych. Mil. c. 26, Plut. v. Phoc. c. 14, Suid. s. v. [illegible], Philostr. v. soph. I, 2 Ad hunc Leontem Bernhardy ad Suid. l. l. rettulit, quae de Leonide Byzantiorum praetore Damo

Phocione Platonis scholis interfuisset et ab illo tempore eius amicus esset, se civibus suis pro Phocionis honestate et disciplina militari vadem dans effecit, ut Byzantii eius copias in urbem exciperent. Athenienses autem bona disciplina et magna fortitudine se hac fide dignos praestiterunt et ad Byzantii salutem magni fuerunt momenti [1]. Ac Philippus coactus est, ut ab urbis obsidione desisteret [2] anno 340 [3]. Cum autem eius classis angustias Cyanearum praetervehi propter Athenienses Bosporum custodientes non posset, Antipatro scripsit Thraciam rebellare praesidiis, quae ibi reliquisset interceptis eumque omnibus rebus omissis ad se venire iussit. Quae litterae ut ab hoste interciperentur, curavit. Athenienses autem arcana Macedonum comperisse sibi visi classem alio duxerunt. Quo facto Philippus nullo prohibente toto freti angustias praetervectus est [4].

§ 22. Iam rex, ut per Hellespontum quoque classi cursum aperiret, cum maxima exercitus pars ad Byzantium remaneret, ipse cum fortissimis copiis Chersonesum invasit et vastavit [5]. Demosthenis autem opera provisum erat, ne Philippus Chersonesi oppida caperet [6]. Atheniensium copiis, quibus accesserunt naves Byzantiorum, Rhodiorum, Chiorum, Chersonesus servata est. Iam vero Philippi plurimum interfuit, ut classis Hellespontum quoque pernavigaret. Quam ob rem a Rhodiis aliisque Byzantiorum sociis petivit, ut se cum Byzantiis reconciliarent, et fidei suae pignora eis naves mercatorias captas reddidit [7]. Sed cum Byzantiis pax non est confecta [8], et cum Philippus consulto negotiationes per longum tempus traheret, subito

apud Athen. X p. 442 C, Ael. var. hist. III, 14 narrant, at incerta haec coniectura est, cum nomina diversa sint. — Byzantii tum [illegible] fuisse Hesych. l. l. dicit, Schaefer autem vol. II p. 479, 3 [illegible] fuisse probare studet Theopompi fragmento 65 (ap. Athen. XII p. 526 E), quod vix fieri potest; nam illud fragmentum, cum libri VIII sit, ad hoc tempus non spectat. Videtur potius ad priores Philippi regni annos spectare, fortasse ad bellum sociale.

[1]) cf. Plut. l. l.

[2]) cf. Plut. l. l., Diod. XVI, 77, Trog. Pomp. l. IX prol.

[3]) cf. Schaeferi vol. II p. 481, 1. Postea Philippus in Chersonesum ad se venire iussit Alexandrum filium tum XVIII annos natum (cf. Iust. IX, 1, 8). Alexander autem duodevicesimum aetatis annum iniit mense Iulio a. 339.

[4]) Ex hac Frontini narratione (Strateg. I, 4, 13) Schaefer vol. II p. 482 effecit Philippum in epistola ad Antipatrum Perinthum obsidentem scripsisse classem suam in aliquem Ponti Euxini locum vectam esse, et cum Chares re comperta Macedonum classem persequeretur, naves toto per Bospori angustias in Propontidem esse elapsas.

[5]) cf. Iust. IX, 1, Dem. de cor. § 139.

[6]) cf. Dem. l. l. § 80, 92 sq., 302. Iure igitur Schaefer vol. II p. 482 Iustini narrationem sprevit, qui l. l. Philippum in Chersoneso multa oppida cepisse tradit, itemque Syncelli, qui p. 263 de hac Philippi expeditione haec dicit: [illegible] Demosthenis testimonium firmat Frontinus (I, 4, 13).

[7]) cf. Front. l. l.

[8]) cf. Dem. de cor. § 230. Nec cum Atheniensibus pax est facta (cf. Philoch. ap. Dion. Hal. ad Amm. p. 742, Dem. l. l. § 143 sq.). False igitur Diod. XVI, 77 (cf. c. 84) Philippum cum Atheniensibus et ceteris Graecis sibi adversantibus pacem fecisse narrat Theophrasto archonte. — Fortasse cum Rhodiis et Chiis tum pax facta est; cf. Grote vol. XI p. 462, Schaefer vol. II p. 483, 2.

necopinantibus hostibus classis Macedonum per Hellespontum vecta est[1]. Eodem fere tempore[2] Diopithes Atheniensium in Chersoneso praetor videtur esse mortuus, post mortem a rege Persarum argentum ei dono missum advenit[3].

Cum maxima classis Macedonicae pars tuto in mare Aegaeum pervenisset, Philippus Perinthi et Byzantii obsidionibus solutis[4] adiuncto sibi Alexandro filio tum duodevicesimum annum agente[5] contra Ateam Scytharum regem profectus est[6].

§ 23. § 23. Interim Phocio copias suas navibus imposuerat et nonnullas Philippi naves vacuas persequendo ceperat. Cumque Philippus Chersonesum reliquisset, oppida quaedam orae Thracicae a Macedonibus occupata aggressus cepit et multis locis naves appulit terramque vastavit, quoad vulneribus affectus domum redire coactus est[7]. Eodem tempore Schaefer[8]) Ochi regis iussu Persarum copias in Thraciam Macedonibus subiectam eam expeditionem fecisse putat, de quâ Alexander in epistola ad Dareum regem missa[9]) queritur.

Byzantii autem et Perinthii et Chersonenses Atheniensium populum propter auxilium contra Philippum latum coronis aureis aliisque honoribus ornaverunt[10].

§ 24. § 24. Nec vero diu Graecis, inprimis Atheniensibus, victoria de Philippo reportata frui licuit; nam archonte Chaeronda[11]) (a. 338) mensis Metagitnionis die VII[12]) Philippus Athenienses et Thebanos ad Chaeroneam devicit, nec multo post Demadis, quae dicitur, pace[13]) Atheniensium in regionibus Thracicis auctoritas omnis fere deleta est. Nam Lemnus quidem[14]) et Imbrus[15]) insulae eis videntur esse relictae; Scyrus autem insula[16]) et Chersonesus Thracica[17]) Macedonum finibus adiectae sunt, et Atheniensium sociis Philippus libertatem reddidit. Thasi mox Aristolaus quidam

[1]) cf. Front. Str. I, 4, 13.
[2]) In hac re sequor Schaeferum l. l. p. 483, 3.
[3]) cf. Aristot. Rhet. II, 8 p. 1386 a 13. — Diopithem in pugna contra Philippum commissa cecidisse Auger apud Iacobsium (Demosth. Staatsr. p. 330) suspicatus est, quae coniectura incertissima est. — Schaefer l. l. ad hoc tempus refert, quae de pugna navali a Diopithe in Hellesponto commissa apud Tzetzem Chil. VI, 97 leguntur, quae Boehnecke Forssh. p. 488, 2 ad id tempus referre mavult, quo Macedonum classis ex mari Aegaeo in Propontidem vecta est. Locus ipse satis obscurus est.
[4]) cf. Diod. XVI, 77.
[5]) cf. Iust. IX, 1, 8. Alexander duodevicesimum annum iniit mense Iulio a. 339.
[6]) cf. Iust. IX, 2, Trog. Pomp. prol. l. IX, Aesch. in Ctes. § 123 sq.
[7]) cf. Plut. v. Phoc. c. 14.
[8]) vol. II p. 484.
[9]) ap. Arr. Anab. II, 14, 5
[10]) cf. Dem. de cor. § 89, 92 sq., Plut. Mor. p. 350.
[11]) cf. Diod. XVI, 84 sqq., Dion. Hal. de Isocr. p. 537, v. X or. p. 837.
[12]) cf. Plut. v. Cam. 19.
[13]) cf. Demosth. l. l. § 258. (Demad. π. 1. δωδ 9.
[14]) cf. corp. inscr. Gr. II n. 2155, Polyb. XXX, 18
[15]) cf. Curt. IV, 5, 22.
[16]) cf. Strab. IX p. 437.
[17]) cf. Schultz, de Chers. p. 113.

principatum adeptus omnes Atheniensium amicus fidus perseveravit[1]). Tenedum non multo post a Macedonibus occupatam esse scimus[2]). Similem ceterarum insularum urbiumque Thraciarum Atheniensibus ante foedere vel amicitia iunctarum sortem fuisse veri simile est. Sic pace Demadea Atheniensium alter principatus maritimus, quem inde a Nausinico archonte iterum sibi paraverant, sed iam bello sociali partim perdiderant, simulque eorum in Hellesponto, Propontide, Bosporo auctoritas prorsus deleta sunt, et Athenienses ut omnes fere Graeci Macedonum imperio parere coeperunt[3]).

[1]) cf. Demosth. l. l. § 197.
[2]) cf. [Demosth.] de foed. Al. § 20.
[3]) cf. Paus. I. 25, 3. Diod. exc. XXXII, 4. Aesch. in Ctes. § 134.

Corrigenda.

P. III l. 4 pro Ferrum lege ferrum.
P. X l. 24 pro servnamque lege servorumque.
P. XI l. 10 sq. pro Theodoiam lege Theodosiam.
P. XII § 2 l. 10 pro Thaurica lege Taurica.
P. XIV n. 1 lege compte-rendu de la commission.
P. XVII n. 13 pro Iphter lege Iphiter.
P. XIX § 3 l. 3 pro ufiilorrbus lege afflatibus.
P. XXXVII n. 12 pro nier lege inter.
P. XXXXIII l. 6 pro belli lege bellis.
" l. 12 pro sermo lege sermo.
P. XXXXIV l. 6 pro sentjntia lege sententia.
P. XXXXVIII l. 4 verba Thudemi archontis damnanda sunt.
P. L l. 12 pro Cersablepus lege Cersobleptis.
P. LII n. 1 pro [illegible] lege [illegible].
P. LIV n. 7 l. 14 pro Macedonico lege Macedonico.
P. LV n. 1 l. 3 pro eom lege eum.
P. LX n. 5 sub finem pro rcceplam lege receptam.
P. LXIV § 4 l. 14 pro probabiliter lege probabiliter.
P. LXXI n. 12 l. 1 pro § 2, 23 lege § 2, 35.

Sententiae controversae.

1) Iniuria Rehdantzius (ann. philol. vol. 70 p. 503) et Siggius (ann. philol. suppl. 7 p. 401) Demosthenis adversus Pantaenetum orationem spuriam esse censuerunt.

2) Argumenta, quae contra orationis de corona trierarchica habitae originem Demosthenicam prolata sunt, nihil valent.

3) Apud Lysiam or. X § 4 non est scribendum *ἔτη τριάκοντα τρία*, sed *ἔτη τρία καὶ τριάκοντα*.

4) Iniuria Schwanbeckius Ael. de nat. an. l. XVI c. 2—22 inter Megasthenis fragmenta recepit.

5) Aelianus, quamvis interdum Megasthenem auctorem nominet, tamen non ipsa Megasthenis Indica videtur ante oculos habuisse.

6) Argumenta, quibus Schoenius (anal. phil. hist. I p. 31) Diodorum l. XVII non ex ipso Clitarcho hausisse, sed eodem quo Arrianum auctore usum esse probare conatus est, nihil valent.

Vita.

Natus sum Adelbertus Hoeck patre Ferdinando, matre Mechthildi e gente Dreesenia a. d. III Id. Oct. anni MDCCCLIII Tatingi in vico Eiderstedtensi, ubi pater meus tum pueros prima elementa docebat, qui nunc Cappeli simili munere fungitur. Fidem profiteor evangelicam. Prima litterarum elementa didici partim in vico patrio partim Apenradae, ubi etiam linguarum Latinae Graecaeque primis rudimentis eruditus sum. Vere anni 1868 in tertiam gymnasii Flensburgensis classem receptus sum, auctumno eiusdem anni in secundam, vere anni 1870 in primam. Duobus annis post maturitatis examine perfunctus Kiliam me contuli, ubi per quattuor annos studiis philologicis et historicis operam dedi et scholis interfui virorum doctissimorum Forchhammeri, Ribbeckii, Rohdii, Wilmannsii, Lübberti, Gutschmidii, Usingeri, Volquardsenii, Schirrenii, Thaulowii, Pfleidereri, Weinholdi, Noeldekii, Klostermanni, quibus omnibus hic summas gratias ago. Imprimis autem gratias ago rectoribus, qui per hoc tempus fuerunt, seminariorum philologici et historici, quorum utriusque per tres annos sodalis ordinarius fui.